Die

Gesta Romanorum

nach der

Innsbrucker Handschrift v. J. 1342

und

zwei Münchener Handschriften.

Inaugural-Dissertation

zur

Erlangung der Doctorwürde

der

hohen philosophischen Facultät

der

Friedrich - Alexanders - Universität Erlangen

vorgelegt

von

Wilhelm Dick

aus Frankfurt a. M.

ERLANGEN 1890.

K. b. Hof- und Univ.-Buchdruckerei von Fr. Junge (Junge & Sohn).

Die Arbeit wird vollständig als Heft VII der „Erlanger Beiträge zur englischen Philologie“ erscheinen.

Meiner teuren Mutter

in Liebe und Dankbarkeit gewidmet.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41545817_0150

HIC INCIPIUNT GESTA IMPERATORUM[1].

Cap. 1 (*Bl.* 1 *r.*).

De rege et pugile pro filia.

Pompeius regnauit diues super omnia ac potens, qui filiam habebat pulcherrimam, quam multum dilexit, in tantum quod pro sua custodia continue quinque milites dedit, vt sub pena graui eam custodirent contra omne periculum. Puella ista tenerrime erat nutrita. Venit quidam[2] ad eam, qui multa ei promisit, si sibi consentire vellet. Illa ei consensit, sperans de promissione, de[3] nocte surrexit et eum est secuta. Erat tunc in palacio quidam[2] pugil, qui semper pro iusticia imperii pungnabat. Qui cum audisset, quod filia patrem contempsit, quia erat seducta per regem Babylonie, agili cursu post eos[4] currebat. Rex videns eum[5] venientem dedit ei bellum. Sed pugil imperatoris, nomine Adonyas, eum in campo deuicit et caput amputauit et filiam ad palacium reduxit. Tamen faciem patris non vidit, sed continue gemitus et suspiria emittebat. Hec audiens quidam[2] sapiens in curia imperatoris existens, qui erat semper mediator inter imperatorem et alios constitutus, pietate motus, per eum patri est reconciliata et coram eo vocata ac nobilissimo viro sponsata. Quo facto varia recepit (a patre) donaria. Primo a patre tunicam talarem polimitam, vndique habentem hoc intextum: „Dimisi tibi, ne adicias!“ A rege quandam coronam auream habentem insculptam: „Ex me tua dignitas!“ A quodam[6] propungnatore anulum cum hac

---

[1] *Titel geht in der Hs. weiter:* moralizata ac declamacione Senece et Iohannis. *B* Nota gesta Romanorum secundum ordinem cum reductionibus spiritualibus. *In A fehlt* hic *und steht* Senice. [2] *A* quidem. [3] *fehlt B.* [4] *AB* post currebat. [5] *A* eam. [6] *A* quodem.

scriptura: „Dilexi te. Disce diligere!“ Ab illo sapiente mediatore alium anulum sic sculptum: „Quid feci? Quantum? Quare?“ A filio regis eciam anulum, vbi erat sic sculptum: „Nobilis es. Nobilitatem tuam ne contempnas!“ A germano proprio quartum anulum, vbi sic erat scriptum: „Accede, ne timeas! Frater tuus sum.“ A sponso suo sigillum, quo sibi sponsi hereditas confirmabatur, collata[1], cuius scriptura erat: „Iam coniuncta es. Amplius noli[2] errare!“ Puella, postquam illa dona receperat, ea, quamdiu[3] vixit, custodiuit et in bona pace quieuit.

Cap. 2 (*Bl.* 1*v.*).

Statutum, quod filii parentes alerent.

Gracianus regnauit, qui statuit pro lege sub pena mortis, quod filii parentes suos alerent. Accidit, quod[4] erant duo fratres ex vno patre[5]. Vnus filium habebat et vidit auunculum suum egentem. Statim secundum legem eum sustinebat contra voluntatem patris; et ideo pater suus eum a societate sua expulit. Verumtamen propter hoc non dimisit, quin auunculum egentem sustinuit et neccessaria inuenit. Factus est post hec auunculus[6] dives, et pater cepit egere. Filius suus hec videns patrem aluit prohybente auunculo et ideo a societate auunculi est expulsus dicensque ei: „Karissime, tibi constat, quia aliquando egenus eram, et me sustinuisti contra voluntatem patris tui, et ideo te in filium et heredem accepi. Ingratus filius hereditatem non sequitur, sed filius adoptatus[7], sicut tu fuisti ingratus, quia contra preceptum adoptantis aluisti[8].“ Filius (*Bl.* 2*r.*) respondit auunculo: „Nullus debet puniri pro eo, quod lex compellit. Sed lex naturalis et scripta compellit filium subvenire parentibus in neccessitate maxime ac eos honorare. Et ideo expelli ab hereditate de iure non debeo.“

Cap. 3 (*Bl.* 2*r.*).

Statutum, si mulier esset fornicata.

Honorius regnauit, qui statuit pro lege, quod, si mulier esset sub viro adulterata, sine misericordia de alto monte

[1] *AB* collocata. [2] *AB* noli amplius. [3] *A* que diu. [4] *B* et. [5] *AB fügen noch* nati *zu*. [6] *AB schalten* eius *ein*. [7] *B* adoptandum. [8] *alle drei Hss.* aluit, *aber Oesterleys Text hat das richtige* aluisti.

precipitari deberet. Accidit casus, quod quedam mulier sub viro suo erat adulterata. Vnde secundum legem de monte alto erat precipitata; sed descendit de monte tam suauiter, quod in nullo erat lesa. Ducta est ad iudicium. Iudex videns, quod mortua non esset, dedit feminam, quod iterum deberet precipitari et mori. Ait mulier: „Domine, si sic feceris, contra legem agis, quia lex vult, quod nullus debet bis puniri pro vno delicto. Ego eram precipitata, et deus me saluauit miraculose. Ergo videtur, quod iterato non debeo precipitari, nisi contra legem iterato[1] committerem.“ Et sic saluata est.

Cap. 4 (*Bl. 2r.*).

De oppressione.

Claudius regnauit, qui statuit pro lege, quod, si quis mulierem raperet et vi eam opprimeret, in eleccione mulieris esset, vtrum mori deberet, vel eam in vxorem acciperet sine dote. Accidit casus, quod quidam rapuit vna nocte duas mulieres. Vna[2] peciit mortem et altera nupcias. Raptor captus est et ductus coram iudice, vt duabus mulieribus secundum legem responderet. Prima mulier mortem peciit secundum legem. Secunda eum in uirum peciit secundum legem et dixit prime: „Verum est, quia lex dictat, quod peticionem optineas. Et sic pro me facit. Sed quia mea peticio est micior et magis[3] caritatiua, ideo mihi videtur, quod iudex pro me allegabit.“ Ambe coram iudice perrexerunt, et quelibet beneficium legis postulabat. Iudex cum vtramque racionem audiuit, secunde mulieri concessit, vt eum in virum optineret. Et sic factum est.

Cap. 5 (*Bl. 2v.*).

De iuuene capto a piratis, quem pater noluit redimere.

Zenon regnavit, in cuius imperio erat quidam iuuenis captus a pyratis. Scripsit patri suo pro redempcione. Pater noluit eum redimere, sicque iuuenis multo tempore erat maceratus in carcere. Ille, qui eum in vinculis tenuit, quandam

[1] *B* iterata. [2] *Hs. davor* quarum *von anderer Hand am Rande.* [3] *B* mea.

filiam habebat pulcram ac occulis hominum graciosam, que sepius incarceratum visitare solebat et consolari; sed ille tam desolatus consolacionem non recepit, sed suspiria et gemitus cottidie emittebat. Accidit quodam[1] die, quod, cum puella eum visitaret, ait ei iuuenis: „O bona puella, vtinam velles pro mea liberacione laborare!“ Que ait: „Quomodo hoc potero attemptare[2]? Pater tuus, qui te genuit, non vult te redimere; ego vero, cum sim tibi extranea, quomodo debeo hoc perpetrare? Et si te liberarem, offensam patris mei incurrerem, et per hanc tuam redempcionem pater meus perderet. Verumtamen concede michi vnum, et te liberabo!“ At ille: „O bona puella, pete a me, quod tibi placuerit! Si michi est possibile, ego concedam.“ At illa: „Nichil aliud peto pro tua liberacione, nisi quod me in vxorem ducas oportuno tempore, et ab isto carcere te liberabo inmediate.“ Qui ait: „Hoc tibi firmiter promitto.“ Statim puella patre ignorante ipsum a uinculis liberauit et cum eo ad patriam fugit. Cum vero ad patrem suum venisset, ait ei pater: „O fili, de tuo aduentu gaudeo; sed dic michi, qualis est ista puella, quam tecum duxisti?“ At ille: „Filia regis est, quam in vxorem habebo.“ Ait pater: „Sub pena amissionis hereditatis mee nolo, quod eam in vxorem ducas.“ At ille: „O pater, quid dicis? Plus ei teneor, quam tibi. Quando eram captus in manus inimici et fortiter aduinculatus, tibi scripsi pro mea redempcione. Noluisti me redimere. Ipsa vero non tantum a carcere, sed a periculo mortis liberauit me[3]. Ideo eam in vxorem ducere volo.“ Ait pater: „Probo tibi, quod non possis in eam confidere et per consequens in vxorem non habere[4]. Patrem proprium decepit, quando ipso ignorante te a carcere liberauit, pro qua liberacione pater eius multa perdidit, quia totam tuam redempcionem. Ergo videtur, quod tu non poteris in ea confidere et ideo nullo modo[5] in vxorem sumere. Item alia racio est ista. Licet te liberauit, hoc fuit causa libidinis, vt posset[6] te in virum habere. Et ideo, quia eius libido erat causa liberacionis tue, non michi videtur, quod vxor tua est.“ Puella audiens istas raciones ait: „Ad primam racionem respondeo[7]: Quando dicis,

[1] *B* quadam. [2] *B* ac temptare. [3] *AB* me liberauit. [4] *AB* in vxorem ducere. [5] *B schiebt* eam *ein*. [6] *AB* possit. [7] *B* respondeo racionem.

quod ego decepi patrem proprium etc., dico, quod non est verum. Ille decipitur, qui in aliquo bono diminuitur. Sed pater tam locuplex est, quod non indiget alicuius auxilio. Tamen hoc perpendi, iuuenem istum a carcere liberaui. Et si pater meus redempcionem pro eo accepisset, non maius[1] dives esset, quia[2] plus habet, quam expendere potest, eo quod in omnibus habundat, et tu per redempcionem depauperatus esses. Ergo te saluaui, quod redempcionem non dedisti, et patri meo nullam iniuriam feci. Ad aliam racionem, quando dicis, quod ego ex libidine hoc feci, respondeo: Hoc nullo modo potest fieri, (*Bl.* 3*r*.) quia libido venit[3] ex causa pulcritudinis aut propter diuicias aut propter fortitudinem. Sed[4] filius tuus nullam istarum habuit, quia pulcritudo eius per carcerem erat annichillata; nec dives fuit, quia non habuit, vnde se ipsum redimeret, nec fortis, quia fortitudinem perdidit per carceris maceracionem. Ergo sola pietas me mouebat, quod ipsum liberaui.“ Pater hec audiens non poterat vlterius[5] contra filium arguere. Filius vero cum magna solempnitate eam in vxorem duxit et sic in pace vitam finiuit.

Cap. 6 (*Bl.* 3*r*.).

Quod alter pro amore alterius moreretur.

Valentinianus regnauit potens ac tyrannus, qui quandam puellam, regis filiam, pulcram valde desponsauit. Facta desponsacione cum ea per iuramentum conduxit, quod, si quis eorum prius moreretur, alter pre nimio amore moreretur. Accidit semel, quod imperator iste ad partes longinquas se transtulit et diu moram ibidem traxit. Volens probare vxorem misit nuncium ad eam de morte sua. Audiens hec vxor propter iuramentum, quod ante fecerat viro suo, de alto monte se precipitauit, vt moreretur. Verumtamen non est mortua, sed sanitati infra tempus breue restituta. Deinde volebat iterato se ipsam precipitare, vt moreretur, propter iuramentum, quod fecerat. Pater eius hec audiens ei precepit, vt precepto viri non obediret, sed totaliter talem virum dimitteret. Illa ei obedire

---

[1] *B* magis. [2] *A* sed. [3] *AB* veniet. [4] *fehlt in AB.* [5] *fehlt in AB.*

nolebat. Pater ait: „Ex quo non vis michi[1] obedire, cito extra societatem meam exeas!“ At illa: „Nolo, et hoc per talem racionem. Quandoque[2] aliquis est iuramento obligatus, per legem tenetur id adimplere. Ego iuraui viro meo, quod pro eius amore moriar. Ideo non deliqui, quare ego a societate tua debeo expelli. Item nullus debet puniri pro eo, quod est commendabile. Sed cum vir et vxor sint vnum secundum deum, commendabile est, quod vxor moriatur pro amore viri sui. Vnde talis lex aliquando erat in India, quod vxor post mortem viri sui pre dolore et amore deberet se ipsam comburere, vel viua cum eo in[3] sepulcrum poni. Et ideo michi videtur, quod non delinquam, quando me ipsam propter amorem viri mei interficio.“ Ait pater: „Quando prius dixisti, quod obligata iuramento fuisti etc., tale obligamentum non valet, quia pretendit ad malum finem, scilicet ad (*Bl.* 3*v.*) finem mortis. Semper iuramentum debet esse licitum et racionabile et non contra pietatem, et ideo iuramentum tuum nullum est. Ad aliam racionem, quando dixisti, quod illud est commendabile, quod vxor moriatur pro uiro, non valet, quia, licet sint in corpore vnum per carnalem affectionem, in anima duo sunt, que ab inuicem realiter differunt. Et ideo non valet, quod dixisti.“ Puella hec audiens non poterat vlterius arguere, sed dictis patris adhesit, nec vlterius volebat se precipitare nec amplius viro copulari.

Cap. 7 (*Bl.* 3*v.*).

De filio militis, qui duxit meretricem.

Theodosius regnauit, in cuius imperio erat quidam miles generosus, qui duos filios habebat. Filius iunior contra voluntatem patris meretricem desponsauit. Cum pater hoc audisset, contristatus est valde, illum a societate sua expulit. Iste sic expulsus in magna miseria est positus. Tamen de meretrice vxore sua filium genuit. Et eger valde factus est. Statim misit ad patrem nuncium, vt misericordiam de eo haberet. Pater vero misertus est ei et est ei reconciliatus. Ipso reconciliato patri suo filium, quem de meretrice genuerat, recommendauit. Pater vero ipsum quasi in filium proprium recepit et

[1] *in A fehlt* michi. [2] *B* quandocunque. [3] *AB* ad.

nutriuit. Hec audiens alius frater dixit patri suo: „Tu es demens, et hoc[1] probo tali racione. Ille demens est, qui filium in heredem accipit et nutrit, qui ei magnam iniuriam fecit. Sed frater meus, qui istum genuit, fecit tibi magnam iniuriam, quando meretricem contra tuum preceptum desponsauit. Ergo videtur, quod tu sis demens.“ Pater ad hoc respondit: „Fili, frater tuus est michi reconciliatus per magnam contricionem, quam habuit, et preces aliorum. Ideo me oportet filium suum diligere plus quam te hac racione. Tu contra me commisisti[2] et nunquam reconciliatus michi fuisti. Iam tu es ingratus fratri tuo propter hoc, ex quo velles ipsum a societate mea expellere. Karissime, certe nullus ingratus filius debet consequi hereditatem. Tu noluisti eum michi reconciliasse[3], immo impediuisti, quantum potuisti. Ergo partem hereditatis mee numquam optinebis, sed illam, quam deberes optinere, frater tuus occupabit.“ Et sic factum est.

Cap. 8 (*Bl. 4r.*).

De tribus ymaginibus.

Leo primus regnauit, qui miro modo delectabatur pulcras virgines videre. Vnde fecit fieri in quodam templo tres ymagines stantes et precepit, vt omnes eas adorarent[4]. Prima ymago habebat manum extensam ad populum et in vno digito anulum aureum, et super digitum erat superscripcio talis: „Ego sum curialis. Ecce anulus!“ Secunda ymago barbam auream habebat, et in fronte eius erat scriptum: „Ego sum barbatus. Si quis caluus fuerit, ad me veniat et de pilis meis accipiat!“ Tercia ymago habebat clamidem auream et tunicam de purpure et pallo, et in pectore eius erat scriptum litteris aureis: „Ego sum, qui neminem timeo.“ Iste tres ymagines erant lapidee interius. Cum autem fuissent complete secundum voluntatem imperatoris, statuit pro lege, quod quicumque anulum vel barbam auream aut clamidem aufferret, morte turpissima esset condempnatus. Accidit quodam tempore, quod quidam tyrannus templum intrauit vidensque primam ymaginem cum digito extenso anulum a digito extraxit. Deinde ad ymaginem

[1] *fehlt in AB.* [2] *B* misisti. [3] *B* reconciliari. [4] *in A fehlt* eas, *B* adorarent eas.

secundam accessit et barbam auream ab ea abstulit. Post hec ad ymaginem terciam peruenit, clamidem ab ea tulit et de templo recessit. Populus cum ymagines spoliatas vidisset, statim ad imperatorem omnes accesserunt et de tali transgressione[1] contra legem factam accusabant. Imperator statim transgressorem, id est[2] tyrannum, conuocari fecit et super delicto eum arguebat, quod ymagines contra preceptum spoliauit. At ille: „Domine, licitum est michi[3] respondere?" Qui ait: „Michi bene placet." „Quando templum intraui, prima ymago manum ad me extendit habensque in digito anulum, ac si diceret: 'Anulum istum accipe!' Tamen propter manus extensionem anulum nolui recipere, quousque in digito superscripcionem legi, scilicet: 'Ego sum curialis. Ecce anulus!' Statim intellexi per scripcionem, quod voluntas eius esset, vt anulum acciperem, et ideo accepi. Deinde ad secundam ymaginem veni, et cum vidissem eam barbam auream habentem, in corde meo cogitaui et dixi: 'Pater istius numquam talem barbam habebat, quia sepius eum vidi; et quod filius sit alcior quam pater, racio non dictat, bonum est et vtile barbam eius aufferre.' Verumtamen hoc non obstante barbam nolui extrahere, quousque legi (*Bl. 4c.*) superscripcionem: 'Ego sum barbatus. Si quis caluus fuerit, ad me veniat et de pilis meis accipiat!' Sicut videtis, caluus sum, et ideo barbam auream accepi propter duo. Vnum est, vt patri suo esset similis. Secundo, vt per pilos eius capiti meo caluo subuenirem. Deinde accessi ad terciam ymaginem, que clamidem auream habebat. Clamidem abstuli, eo quod in hyeme[4] aurum est frigidum, et ymago erat lapidea, et lapis naturaliter est frigidus, et ideo, si haberet clamidem auream, esset addere frigiditatem frigido, quod est graue ymagini. Item si in estate haberet clamidem, esset ei nimis ponderosum. Adhuc propter ista non abstulissem, donec superscripcionem frontis legissem: 'Ego sum, qui neminem timeo'. Cum vero tantam superbiam in ea legissem, vt humiliaretur, clamidem abstuli." Ait imperator: „Karissime, quando lex erat data, ut nullus ymagines spoliaret, non erat in lege prouulgatum[5], quod aliquis ymagines propter causam aliquam spoliaret? Et ideo, quia te intromisisti de eis, que

[1] *B schiebt* eum *ein.* [2] *A* scilicet. [3] *A* michi est. [4] *A* yme. [5] permulgatum.

ad te non pertinebant, do pro iudicio, vt hodie suspensus sis in patibulo.“ Et sic[1] factum est.

Cap. 9 (*Bl. 5r.*).

De filio patrem persequentem.

Leo secundus regnauit prudens valde, qui pulcram filiam puellam regis Syrie in vxorem habebat[2], que peperit ei filium pulcherrimum. Creuit puer, et cum ad etatem legittimam peruenisset, patri suo semper insydias fecit et per omnia mortem eius quesiuit. Admirabatur imperator. Venit ad imperatricem et ait: „Karissima, audacter sine timore aliquo secretum cordis tui reuela michi! Dic michi, vtrum aliquo tempore ab aliquo quam a me sis corrupta, si sit iste filius meus, qui michi tantum insidiatur!“ At illa: „Nouit deus, qui non fallitur, quod numquam ab aliquo cognita sum nisi a te! Et hoc parata sum per omnem viam probare. Et iste est filius tuus, qui te tantum insequitur; sed causam huius persecucionis penitus ignoro.“ Rex cum hoc audisset, statim cum mansuetudine filio suo locutus est dicens: „Bone, inquit, fili, ego sum pater tuus: per me mundum intrasti et heres meus eris. Cur michi mortem minaris? In deliciis nutriui te, et omnia mea tua sunt. Desine, inquit, ab ista iniquitate et noli me occidere!“ Filius vero dictis eius non acquiescens, de die in diem malicia eius crescebat et semper patrem occidere nitebatur. Pater hoc videns in locum desertum perrexit et filium secum duxit portansque gladium in manu sua tradidit filio suo[3] dicens: „O fili mi, interfice me, quia minus scandalum est tibi me hic interficere in occulto quam coram populo!“ Filius hec audiens statim gladium a se proiecit et coram patre genu flexo cum fletu magno misericordiam ab eo petiuit dicens: „O pater, peccaui; iam non sum dignus vocari filius tuus. Peto, ut michi remittas et me diligas, et filius tuus humilis ac fidelis per omnia de cetero ero.“ Pater vero eius pietate motus osculatus est eum et ait: „O fili dulcissime, ammodo non delinquas, sed esto michi filius fidelis, et ego

[1] *fehlt in AB.* [2] *A* duxit et habebat, *B* duxit et eam habebat. [3] *B* suo filio.

tibi pater graciosus!“ Et sic factum est. Ambo in pace vixerunt et vitam in bono finierunt.

Cap. 10 (*Bl.* 5*r*.).

De filia in venenosis nutrita.

Allexander regnauit, qui erat tam fortis tempore suo et potens, quod nullus eum deuincere potuit. Et quantum ad sapienciam magistrum Aristotilem habebat secum, qui eum in omni sapientia instruebat. (*Bl.* 5*v*.) Hec audiens regina aquilonis filiam suam a tempore natiuitatis veneno nutriuit, et cum ad etatem legittimam peruenisset, erat tam pulcra et in omnibus amorosa, ita quod multi per aspectum eius infatuati fuerunt. Tandem regina eam ad Allexandrum misit, vt esset eius concubina. Visa puella statim captus est in eius amore et dormire cum ea uolebat. Hec percipiens magister Aristotiles dixit ei: „Nolite talia attemptare, quia, si feceritis, incontinenti moriemini, eo quod ipsa sit toto[1] tempore vite sue veneno nutrita! Et vt verum fuerit, quod dico, statim hoc probabo[2]. Hic est quidam[3] malefactor, qui per legem mori debet: cum ea dormiat, et tunc videbitis, si verum dixerim.“ Et sic factum est. Malefactor osculatus est[4] eam, coram omnibus cecidit et mortuus est. Allexander hec percipiens magistrum suum miro modo laudabat, qui eum a morte liberauit. Puellam matri remisit.

Cap. 11 (*Bl.* 5*v*.).

De duobus anulis, amoris et obliuionis.

Fridericus in ciuitate romana regnauit[5], qui diu remansit sine prole. Et vxorem tandem per consilium sapientum quandam puellam pulcram valde de longinquis finibus mundi desponsauit et cum ea in patria ignota diu moram traxit et prolem ex ea genuit. Post hec ad imperium suum accedere volebat. Sed nullam licenciam ab ea poterat habere: immo ipsa semper dicebat, si de ea recederet, se ipsam interficeret. Imperator cum hec[6] audisset, fecit fieri duos anulos

[1] *AB* in toto. [2] *A* probabo hoc. [3] *A* quidem. [4] *fehlt in B.* [5] *in der Hs. am Rande nachgetragen* cum fratribus suis, *das aber in AB fehlt.* [6] *fehlt in A.*

optimos et sculpsit ymagines in gemmis huius[1] efficacie, vt vna esset ymago memorie et altera[2] ymago obliuionis. Cumque paribus anulis eas inseruisset, vnum anulum, scilicet obliuionis, vxori prebuit, alterum ipse tulit[3], vt sicut pari amore[4] sic paribus anulis insignirentur. Vxor incepit statim amoris viri obliuisci. Imperator hec videns ad imperium cum gaudio se transtulit nec vlterius ad vxorem est reuersus. Et vitam in pace finiuit.

Cap. 12 (*Bl.* 6*r*.).

De sacerdote et riuulo.

Erat quidam imperator, in cuius imperio erat quidam sacerdos lubricus, qui per hoc subditos multociens perturbauit, et per hoc scandalizati multum erant. Erat vnus parochialium suorum, qui nunquam interesse voluit misse ipsius, dum celebrauit. Accidit quodam die festiuo, quod tempore misse eius solus in campo deambularet et miro modo siciebat, in tantum quod videbatur ei mori, nisi posset sitim extinguere. Accidit, dum ambulasset, venit ad quendam riuulum purissimi fontis. Quo viso incepit[5] haurire et fortiter bibere. Sed cum plus gustasset et bibisset, tanto ardencius siciebat. Intra se admirabatur et dixit: „Fontem huius riuuli querere volo!“ Dum autem ambulasset, obuiabat ei quidam senex pulcher valde et ait ei: „Karissime, quo tendis?“ Qui ait: „Vltra quam credi potest sicio. Inueni vnum riuulum aque, de quo bibo, et quanto plus bibo, tanto amplius[6] sicio. Ideo fontem illius riuuli quero, ut de fonte bibam, si sitim extinguere possim.“ Ait senex: „Ecce hic est fons, de quo riuulus ille procedit! Sed dic michi, quare cum aliis christianis ad audiendum diuinum officium ecclesiam non intrasti!“ Qui respondit: „Vere, domine, quia sacerdos noster execrabilem ducit vitam, quod ipsum non credo mundas missas et deo placitas celebrare.“ Ad quem senex: „Si ergo tu sicis, vt dicis, ecce fons, de quo tam dulcis aqua riuuli procedit, de qua bibisti!“ Respexit ille videnque canem fetidissimum habentem os apertum, per cuius os et dentes tocius fontis scaturigo emanabat mirabiliter.

---

[1] *B* hoc. [2] *B* memorie, alia. [3] *fehlt in A*. [4] *B* amori. [5] *AB* cepit. [6] *AB* plus.

Quod dum ille perspicacius agnouisset, mente confusus expauit: toto corpore pertremiscens propter fetorem non audebat gustare et miro modo siciebat. Quem senex intuens ait illi: „Noli timere, quia potasti de riuulo huius fontis! Nullam enim[1] molestiam tibi generabit.“ Ille hec audiens gustauit, sitim extinguit et ait: „O domine, tam dulcem aquam nunquam bibit homo.“ Qui ait: (*Bl.* 6*v.*) „Vide modo, quemadmodum hec[2] dulcis aqua per os canis fetidi obseruato colore proprio cum sapore nec polluitur nec mutatur! Karissime, sic et missa per indignum sacerdotem celebrata. Et ideo, quamuis tibi displiceat vita talium presbyterorum, tamen deuote missas debes audire.“ Hiis dictis senex euanuit ab eo. Et quod viderat, aliis narrauit et post hec deuote missas audiuit.

Cap. 13 (*Bl.* 7*r.*).

De regina, que de filio concepit et partum iugulauit.

Quidam imperator erat, qui pulchram vxorem habuit, quam miro modo dilexit. Ipsa primo anno concepit et filium pulcherrimum peperit, quem multum dilexit, in tantum quod singulis noctibus in vno lecto cum eo iacebat. Cum autem puer tres annos in etate compleuisset, mortuus est imperator. De cuius morte factus est dolor intollerabilis. Regina multis diebus mortem eius planxit. Cum autem sepulture fuisset traditus, regina per se in quodam castro vixit habensque secum filium suum. Puerum istum tantum dilexit, quod ab eo separari non poterat. Ambo continue simul iacebant, donec puer XVIII annos in etate compleuit[3]. Vidensque dyabolus amorem ordinatum[4] inter filium et matrem eos ad nefarium opus solicitauit, in tantum quod filius propriam matrem cognouit. Regina vero statim concepit. Cum vero impregnata fuisset, filius eius totum regnum pre dolore amisit et verecundia[5] et ad partes longinquas accessit. Mater, cum tempus pariendi adesset, filium pulcherrimum peperit vidensque filium statim illum[6] iugvlauit scindens guttur eius per medium. Sanguis gutturis cecidit in palma sinistra manus matris, factique sunt quatuor circuli rotundi in ista forma: ⦶ ⦶ ⦶ ⦶. Vnde ipsa

[1] *fehlt in AB.* [2] *AB* hic. [3] *B* habuit vel compleuit. [4] *AB* inordinatum. [5] *A* et verecundia amisit. [6] *fehlt in AB.*

nulla arte poterat circulos de manu sua euellere. Et propter[1] hoc ducta verecundia semper in illa manu vtebatur cyrotheca, ne circuli sanguinei viderentur. Regina ista[2] satis deuota erat, et cum tantum verecundaretur, quod ex proprio filio concepit et proprium filium occidit, quod nullo modo de hoc confiteri volebat, et tamen omni quindena de peccatis suis fuit confessa[3]. Regina ista miro modo virginem Mariam dilexit et elemosinam pro eius amore sepius dedit. Ab omnibus erat dilecta, quia erat omnibus graciosa. Accidit vna nocte, quod confessor eius coram lecto genu flexo quinquies Ave Maria beate virgini diceret. Apparuit ei beata virgo et ait: „Karissime, ego sum [virgo Maria][4]. Habeo tibi aliqua proferre.“ Confessor eius gauisus est valde et ait: „Die, domina karissima, seruo tuo, que tibi placent!“ Que ait: „Regina istius regni tibi confitetur. Tamen vnum peccatum commisit, quod non audet pre nimia verecundia tibi pandere. Die vero crastina ad te veniet causa[5] confessionis. Dic ex parte mea, quod elimosine sue et oraciones sunt presentate in conspectu filii mei et accepte, et (*Bl.* 7 *v.*) quod confiteatur de illo peccato, quod priuate in camera sua commisit, quia rogaui filium meum pro ea et remissum est ei peccatum, si voluerit confiteri. Si vero dictis tuis noluerit acquiescere, roga eam, vt cyrothecam de manu sua sinistra deponat! Et in palma eius peccatum suum commissum et non confessum videbis. Si noluerit cyrothecam deponere, vi eam extrahe!“ Hiis dictis beata virgo euanuit. Mane vero regina satis humiliter confitebatur de omnibus excepto illo peccato. Cum autem omnia dixisset, que ei placuerunt, ait confessor: „Domina et filia karissima, multi multa locuntur, quare semper in manu sinistra cyrothecam portas. Audacter michi manum extendas, vt possim videre, si lateat aliquid, quod deo non placeat!“ At illa: „Domine, manus mea sana non est, et ideo eam tibi ostendere[6] nolo.“ Ille hec audiens per brachium eam accepit et contra voluntatem eius cyrothecam abstraxit et ait: „Domina, noli timere! Beata virgo, que te intime diligit, michi precepit, hoc perpetrare.“ Cum vero manum apertam vidisset, vidit quatuor circulos sangvineos ac rotundos. Et in primo circulo erant quatuor C C C C, in secundo circulo[7]

[1] *B* per. [2] *fehlt in B.* [3] *dieser Satz ist verderbt.* [4] *nach Oesterleys Texte.* [5] *Hs.* casa, *aber AB* causa. [6] *AB* eam ostendere sibi. [7] *fehlt in A.*

IV D D D D, in tercio circulo[1] IV M M M M, in quarto circulo IV R R R R. Et in circuitu circulorum ad modum sigilli erat talis[2] superscripcio rubea: „Casu Cecidisti Carne Cecata; Demoni Dedisti Dona Dotata; Monstrat Manifeste Manus Maculata: Recedet Rubigo Regina Rogata.“ Domina cum hec vidisset[3], ad pedes confessoris cecidit et cum lacrimis satis humiliter confitebatur de illo peccato. Accepta absolucione et penitencia completa infra paucos dies obdormiuit in domino.

Cap. 14 (*Bl.* 8*r*.).

De filio, qui patrem liberauit.

Dorotheus statuit pro lege, quod filii parentes suos sustentarent. Erat in imperio tunc temporis quidam miles, qui vxorem pulchram acceperat et de ea filium genuit. Profectus est miles ad peregrinandum: per viam est captus et fortiter aduinculatus. Statim scripsit vxori et filio pro redempcione sua. Vxor hec audiens in tantum fleuit, quod ceca facta est. Ait filius matri: „Volo ire ad patrem meum, vt eum redimam[4] a uinculis.“ Ait mater: „Non ibis, eo quod tu sis vnicus filius meus et gaudium anime mee et dimidium anime mee[5]: et posset[6] tibi contingere sicut et sibi. Malles tu patrem absentem redimere quam matrem presentem alere? Quociens aliqua res est duobus equalis et communiter, potestas eius est tota, qui presens est. Tu es filius patris tui et[7] (*Bl.* 8*v*.) meus[8], qui de utero meo existi. Ego vero sum presens, non autem pater tuus. Concludo ergo, quod nullo modo debes a me recedere.“ Respondit filius et multum bene: „Licet sim filius tuus, tamen pater meus est principalis causa generacionis mee, ille agens, tu vero paciens. Pater meus profectus est peregre, tu autem domi; ille vero captus et fortiter vinculatus est, tu vero libera; ille in manibus inimicorum, tu vero inter amicos; ille inclusus, tu vero libera. Tu es ceca, ille vero non videt lucem, sed cathenas, vulnera et miserias. Et ideo ad eum volo pergere et ipsum redimere.“ Et sic factum est. Vnde omnes filium laudabant, qui sic pro redempcione patris laborauit.

[1] *fehlt in A.* [2] *B* titulus. [3] *AB* audisset. [4] *Hs.* eum redimam eum. [5] et dimidium anime mee *fehlt in AB.* [6] *AB* possit. [7] *Hs.* et et. [8] et meus *fehlt in B.*

Cap. 15 (*Bl.* 8*v.*).

De filio, qui nouercam noluit curare.

Gorgonius regnauit in ciuitate romana, qui vxorem puleram accepit, que ei filium peperit. Creuit puer et ab omnibus |est|[1] dilectus. Cum autem X annos in etate complesset, mortua est imperatrix, mater eius, et honorifice sepulture tradita. Post hec ex communi consilio imperator aliam vxorem duxit, que filium prime vxoris non dilexit, sed multa opprobria ei contulit. Imperator hec percipiens volens placere vxori filium suum extra imperium ad studium (*Bl.* 9*r.*) misit. Filius vero sic expulsus artem medicine didicit et in tantum profecit, quod factus est phisycus optimus. Post hec imperator audiens, quod filius eius in studio multum profecisset, gauisus est valde. Verumtamen cecidit in grauem infirmitatem; litteras pro filio misit, ut ad eum sine vlteriori dilatacione veniret et[2] eum ab infirmitate curaret. Filius vero cum voluntatem patris intellexisset, ad patrem venit et eum peroptime sanauit. Vnde fama eius per totum imperium volabat, quod tam subtilis[3] phisycus factus esset. Post hec imperatrix, nouerca eius, vsque ad mortem infirmabatur. Vnde medici sunt adducti, qui de vita eius desperabant. Hec audiens imperator rogauit filium suum, vt eam curaret. At ille: „Peticioni vestre nolo consentire.“ Cui imperator: „Si sic est, extra imperium meum te expellam.“ Ait filius: „Si sic[4] agis, iniuste mecum agis. Bene tibi constat, quod me extra imperium expulisti propter eius suggestionem. Vnde mea absencia fuit causa doloris tui ac[5] infirmitatis tue. Eodem modo mea presencia est causa et occasio |doloris et infirmitatis|[1] nouerce. Ideo[6] nolo ei medicinam dare, quia, si manum ei imponerem et nullum profectum inducerem, michi imputaretur.“ Ait pater: „Eundem morbum habet[7], sicut ego habui.“ Respondit filius: „Pater, licet sit eadem infirmitas, non tamen eadem complexio in te et in illa. Quitquit ego tibi feci, gratum et ratum habuisti; quando palacium tuum intraui, recreatus fuisti. Si nouerca mea videt me, grauatur: si loquor, ei dolor incenditur: si tango eam, extra se erit. Et ideo nichil[8] magis prodest egris curari

[1] *nach Oesterleys Texte.* [2] *B* vt et. [3] *B* subtalis. [4] *Hs.* sic sic. [5] *fehlt in B.* [6] *B* iam. [7] *Hs.* habui, *aber AB* habet. [8] *B* nec.

quam ab eo, cui volunt et desiderant et in quibus affectant.“ Et sic per tales raciones euasit. Et mortua est nouerca.

Cap. 16 (*Bl. 9v.*).

De mundicia lepre.

Erat quidam princeps nomine Naaman[1], qui cum[2] fuisset princeps milicie regis Syrie, e[ra]t dives valde, sed leprosus. In obsequio vxoris Neaaman[1] erat quedam puella de terra Israelis, que ait ad dominam suam: „Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam Helyzeum Samarie, qui curaret eum!“ Qui cum venisset ad prophetam, mandauit Helyzeus, vt descenderet et sepcies in Iordane lauaret se. Cumque lauisset se sepcies, iuxta sermonem viri dei[3] restituta est caro eius, sicut caro parui pueri, et mundatus est a lepra.

Cap. 17 (*Bl. 9v.*).

De pugna militum.

Adonyas regnauit dives valde, qui torneamenta[4] et hastiludia multum diligebat. Vnde quoddam torneamentum fecerat proclamari, et[5] quicunque in torneamento forcius se habebat, mercedem condignam ab imperatore optineret. Multi ad torneamentum venerunt[6]. Imperator ordinauit, vt milites diuiderentur, ita quod ex parte vna plus[7] valentes ordinauit et tot ex alia parte. Illi vero, qui primo ordinati fuerunt, omnia scuta sua in vno loco[8] ad hoc deputatum per ordinem posuerunt. Hoc facto imperator precepit, vt quicunque ex alia parte scutum alicuius[9] cum hasta sua tangeret, statim ille[10], cuius erat scutum tactum, ad tornamentum descenderet, et vna virgo ad hoc electa illum armaret. Deinde contra alium luderet, et si eum in ludo optineret, illa die corona regis coronatus esset et iuxta latus regis in mensa collocatus. Miles quidam hec audiens diligenter omnia scuta respexit, vnum scutum, in quo volebat ludere, tetigit; alius vero in continenti se per puellam fecit armari. Descendit et contra eum ludebat. In quo ludo

[1] *AB* Neaman. [2] *in B fehlt* cum. [3] *B* dei viri. [4] *B* tormenta. [5] *B* vt. [6] *dieser Satz fehlt in A.* [7] *B* plures. [8] *AB* loco vno. [9] *AB schieben* de pugna militum *ein.* [10] *B* iste.

caput eius amputauit, (*Bl.* 10*r.*) qui scutum suum tetigit, et mercedem condignam ab imperatore recepit.

Cap. 18 (*Bl.* 10*r.*).

De illo, qui in foueam serpentum cecidit.

Erat quidam imperator, in cuius imperio pauper mansit, qui singulis diebus ad quandam forestam perrexit, vt lingna colligeret et pro se et vxore ac pro liberis venderet, vt eos sustentaret. Accidit quodam die, quod ad forestam cum azino perrexit. A casu incidit in densitatem nemoris et[1] subito cecidit in quandam profundam foueam, de qua nullo modo exire potuit. In illa fouea erat quidam draco horribilis, qui totam foueam inferius cum cauda circumvoluit. Super eum erant serpentes infiniti, et singulis diebus serpentes semel in profundum fouee descenderunt ad quendam lapidem, qui erat in medio putei: quilibet post alium lapidem lambebat, et sic ascenderunt per ordinem. Deinde draco lapidem lambebat et post hec per totum diem quiescebat. Pauper cum hoc vidisset, intra se cogitabat: „Multis diebus hic sine cibo[2] et potu steti: filius mortis sum ego. Pergam ad illum lapidem et lambam, sicut serpentes fecerunt.“ Perrexit ad lapidem et cepit lambere et inuenit omnem saporem, quem desiderabat. Ita est refocillatus, ac si omnem cibum gustasset. Infra paucos dies tonitruum magnum audiuit, tam horribilem, quod omnes serpentes exierunt, vnus post alium. Cum vero omnes exissent, draco extra foueam volabat. Pauper hec videns tenuit caudam draconis. Draco vero cum de fouea leuauit et ad[3] (*Bl.* 10*v.*) magnam distanciam de fouea cum proiecit. Ille vero per aliquot dies ibidem[4] stetit, donec homines veniebant. Ille audiens strepitum eunciun clamauit, ad cuius clamorem homines venerunt et eum extra nemus duxerunt.

Cap. 19 (*Bl.* 10*r.*).

De elephante et virginibus.

Erat quidam imperator, qui habuit quandam[5] forestam, in qua erat elephas, cui nemo audebat apropinquare. Hec

[1] *A* vt. [2] *A* cibu. [3] *A lässt* et ad *aus*, *B hat* ac per. [4] *AB* ibi. [5] *B* quendam.

audiens imperator a philosophis[1] naturam elephantis[2] quesiuit. Illi vero respondebant et dixerunt, quod virgines nudas multum diligeret ac in cantu earum delectaretur. Imperator statim fecerat inquiri duas puellas pulciores, quas in imperio habebat. Inuente sunt due virgines. Ambe forestam intrabant totaliter denudate. Vna peluim accepit, altera gladium, et inceperunt dulciter cantare per forestam. Hec audiens elephas venit ad eas et cepit mamillas earum lambere. Ille cantum continuabant tamdiu, quousque elephas requieuit in gremio eius, que peluim portabat. Puella alia videns elephantem dormire cum gladio illum occidit. Puella alia sanguinem in pelui accepit, et de illo sanguine rex fecit fieri purpuram.

Cap. 20 (*Bl.* 11*r.*).

De regina et duobus filiis.

Pippinus regnauit in ciuitate Romanorum, qui quandam puellam pulcram valde, desponsauit, que concepit et filium peperit, sed in partu mortua est. Duxit aliam et ex illa alium filium genuit. Vtrumque filium, primum et secundum, ad nutriendum in longinquas partes misit. Isti duo filii per omnia erant similes. Cum vero per longa tempora ibi starent, mater secundi filii desiderauit filium suum videre. Rex ei concessit, nuncium pro duobus filiis misit. Cum autem venissent, tam similes erant per omnia, quod mater, quis eius filius esset, penitus ignorabat. Diligenter ab imperatore sepius quesiuit, quis eius filius esset. Sed rex ei indicare noluit. Ipsa hec audiens fleuit amare. Imperator cum hoc vidisset, ait ei: „Noli flere! Iste est filius tuus.“ Et nominauit sibi filium, quem de prima vxore genuit. Ipsa hec audiens statim totam curam dedit filio illo ad nutriendum et de illo[3] parum aut nichil curabat, qui erat proprius filius suus. Imperator cum hec vidisset, ait ei: „Quid facis? Decepi te. Sine dubio iste est filius tuus, quem peperisti.“ Ipsa cum hoc intellexisset, statim adhesit ei et nutriuit eum et alium spreuit. Imperator cum hoc percepisset, ait ei: „Adhuc[4] decepi te. Iste non est filius tuus, sed vnus illorum est.“ At[5] illa: „Quare sic agis

[1] *AB* phisicis. [2] naturam elephantis *fehlt in B.* [3] *B* alio. [4] *B* ad hoc. [5] *B* ac.

mecum? Indica michi, rogo te!“ Et ille: „Nolo, et hec est causa. Si[1] tibi dixissem veritatem, vnum velles diligere et alterum odire: ideo volo, vt ambos equaliter nutrias. Et cum ad etatem legittimam peruenerint, tunc tibi veritatem dicam, et gaudebit cor tuum.“ Et sic factum est. Ambos peroptime nutriuit, donec veritatem sciuit.

Cap. 21 (*Bl.* 11*r.*).

De statua Danielis.

Habetur Danielis secundo: Daniel vidit statuam, cuius caput erat ex auro purissimo, pectus et brachia de argento, venter et femora de ere, tybee autem ferree[2], pedum quedam pars ferrea et quedam pars fictilis. Daniel istam statuam videbat, et abscisus est lapis sine manibus, et percussit statuam in pedibus ferreis et fictilibus et comminuit eos.

Cap. 22 (*Bl.* 11*v.*).

De rege[3], qui filio pigritiori regnum disposuit.

Pollemius in ciuitate Babylonie[4] regnauit, qui tres filios habebat, quos multum dilexit. Vnde per se cogitabat de regno suo disponere. Vocauit tres filios suos coram se et ait: „Quis vestrum est pigricior? Ille regnum meum post decessum meum occupabit.“ Ait primus: „Domine, ergo michi debetur regnum, et hec est ratio. Adeo piger sum, quod, quando ad ignem sedeo, prius crus in eo comburi permitto, quam illud retraham ab ignis incendio.“ Ait secundus filius: „Ego sum apcior ad regnandum: nam cum funem in collo habeam et mox suspendi debeam et gladium in manu teneam, propter magnam pigriciam ad scindendum cordam non porrigo manum meam.“ Ait tercius: „Domine, ego regnare debeo, quia in pigricia ceteros antecedo. Resupinus enim in lecto iaceo, et stillat[5] super vtrumque oculum aqua, et propter summam[6] pigriciam a stratu meo non me remouco ad partem dextram vel sinistram.“ Rex cum hoc audisset, ei regnum legauit, reputans eum pigriciorem[7].

[1] *Hs.* sed, *aber AB* si. [2] *B* ferre. [3] De Rège *fehlt im Register, steht aber im Texte und in AB.* [4] *AB* Babilonia. [5] *AB* stillum. [6] *B* nimiam. [7] *A fügt* inter alios *hinzu.*

Cap. 23 (*Bl.* 12*r.*).

De basilisco et speculo.

Allexander regnauit, qui dominium tocius mundi optinuit. Accidit semel, quod grandem exercitum collegit[1] et quandam ciuitatem obsedit: qui in eodem loco plures milites et alios sine aliquo vulnere amisit. Cum vero de hoc admiraretur, philosophos vocauit et ait eis: „Magistri, quomodo potest hoc esse, quod subito sine vulnere milites mei moriuntur?“ At illi: „Mirum non est. Est quidam basiliscus super murum, cuius aspectu milites inficiuntur et moriuntur.“ Ait Allexander: „Et quale remedium est contra basiliscum?“ Cui dixerunt: „Optimum ponatur speculum eleuatum intra exercitum et murum, vbi est basiliscus; et cum basiliscus in speculo respexerit, reflexus eius intuitus ad se ipsum redibit, et sic morietur.“ Et sic factum est.

Cap. 24 (*Bl.* 12*r.*).

De tribus militibus occisis.

Grachus regnauit, qui erat inter omnia iustus, nec precibus poterat deuinci, quin iusticiam pro loco, pro tempore exerceret. Accidit semel, quod aliqui apud eum quendam militem accusabant de morte alterius militis in ista forma: „Duo ad quoddam bellum perrexerunt, et nullum bellum erat commissum. Vnus, scilicet iste miles, sine altero rediit: et ideo dicimus, quod iste eum per uiam occidit.“ Centurio cum hoc audisset, sentenciam dedit, vt miles ad supplicium duceretur. Cum autem ductus fuisset, viderunt illum militem viuum, pro quo fuit adiudicatus. Ambos ad iudicium reduxerunt. Iudex iratus dixit primo militi: „Iubeo te interfici, quia da|m|pnatus es.“ Secundo dixit: „Et te similiter, quia causa mortis istius[2] militis fuisti.“ Et dixit tercio militi: „|Etiam te,|[3] quia missus[4] militem occidere non obedisti.“

[1] *AB* collegerit. [2] *AB fehlt* istius. [3] *nach Oesterleys Texte eingeschoben.* [4] *B* iussus.

Cap. 25 (*Bl.* 12*r.*).

De vxore militis et serpente.

Fulgencius regnauit, in cuius regno erat quidam miles, nomine Studer[1], qui vxorem pulcram accepit, sed stultam. In cuius domo quidam serpens habitabat in quadam camera. Miles vero torneamenta et hastiludia frequentabat, in tantum quod deuenit ad magnam egestatem. Vnde fleuit amare et quasi de ipso desperatus. Serpens (*Bl.* 12*v.*) vero videns eius dolorem, data est ei a deo vox et ait: „Cur fles? Fac secundum meum consilium et post factum non penitebis! Singulis diebus michi de lacte ministres, et te ditabo.“ Miles hec audiens ei fideliter hoc adimplere[2] promisit. Statim infra tempus breue ditatus est valde et habebat prolem pulcherrimam et possessiones magnas. Accidit vna die, quod vxor sua ei dicebat: „Domine, vt credo, iste serpens multa bona possidet in camera, in qua iacet. Consulo, vt occidatur, et bona omnia optinebimus.“ Ille vero ad instinctionem[3] mulieris malleum portabat, vt serpentem occideret, in vna manu et lac habebat in uase in[4] altera manu. Cum vero vas lactis serpens videret, extra cameram caput extendit, vt lac lamberet more consueto. Miles vero grandi ictu ad serpentem percussit; sed serpens caput retraxit, et mallei ictum vas suscepit. Statim cum talis prodicio fuisset facta, prolem et omnia bona miles amisit. Ait ei vxor: „Heu michi, malum consilium tibi dedi! Sed perge modo ad foramen serpentis[5] et humilia te sibi, et forte dabit tibi graciam iterato bona recuperando!“ Perrexit miles ad cameram serpentis et fleuit amare, petens graciam, vt per eum, sicut prius, ad diuicias sit releuatus[6]. Ait serpens: „Modo video, quod stultus sis, quia non potest esse, quin ille ictus magnus mallei, quem vas suscepit loco capitis mei, veniret ad memoriam meam: et eciam, quomodo occidi prolem tuam, occurreret tibi, et omnes diuicias[7] tibi abstuli, et sic nulla pax stare posset.“ Ille vero recessit contristatus et semper postea in egestate vixit.

[1] *B nur* nomine, *A lässt beides aus. Name in der Hs. nicht ganz klar.* [2] *B* implere. [3] *A* instructionem. [4] *in B fehlt* in. [5] *A* sed ad foramen serpentis te ponas, *B* sed modo vade *etc.* [6] *B* sicut prius esset ad diuicias sic leuatus. [7] diuicias *fehlt in AB*; *A* omnia.

Cap. 26 (*Bl.* 12*v.*).

De ciconia adulterata.

Quidam miles erat, qui castrum pulcherrimum habebat, in quo cyconie due nidificabant. Sub castro erat fons clarus, in quo cyconie balneari solebant. Accidit, quod femella pullos produxit, masculus vero per terram volabat, vt cibum colligeret. Illo absente femella adulterata est. Statim, antequam masculus veniret, ad fontem descendit, vt se lauaret, ne masculus fetorem adulterii sentiret. Miles cum sepius illud vidisset, admirabatur. Accidit semel, quod, cum fuisset adulterata, miles fontem clausit, ne cyconia balne-(*Bl.* 13*r.*)aretur. Illa vero cum fontem clausum videret, ad nidum reuersa est. Masculus veniens, senciens in ea fetorem adulterii, volauit et infra diem naturalem[1] secum multitudinem cyconiarum duxit, et in presencia militis cyconiam adulteratam deuorabant.

Cap. 27 (*Bl.* 13*r.*).

De muliere adulterata.

Iustinus in ciuitate romana regnauit, qui statuit pro lege, quod quicumque aliquam virginem raperet, si aliquis de manu raptoris eam liberare posset, in vxorem eam duceret, si ei placeret. Accidit, quod quidam tyrannus rapuit quandam virginem duxitque ad quandam forestam et deflorabat. Hoc facto volebat eam occidere. Illa vero voce alta clamabat. Miles vero quidam generosus, cum a casu per eandem forestam equitaret et vocem eius audisset, percussit equum cum calcaribus et ad eam[2] venit. Causam clamoris quesiuit. At illa: „O domine mi, propter dei amorem michi succurrite! Iste me deflorauit ac rapuit et, quod peius est[3], me occidere proponit.“ Ait raptor: „Domine, vxor mea est et alium fugit propter adulterium; ideo eam occidere volo.“ Ait miles: „Signa manifesta video, quod eam vi rapuisti ac deflorasti; ideo pro ea contra te pugnare volo.“ Statim ambo ad inuicem pugnabant, diros ictus ad inuicem dederunt, sed miles victoriam optinuit, tamen grauiter vulneratus[4]. Optenta victoria ait

[1] *B* volauit infra diem naturalem et. [2] *B* eandem. [3] *B* et est peius, quod. [4] *B* optinuit, grauiter vulneratus est.

miles mulieri: „Numquid tibi placet, quod te in vxorem ducam? Et ego te cum solempnitate desponsabo.“ Que ait: „Eciam, domine, et super hoc fidem meam do vobis.“ Fide data ait: „In castro meo per aliquot dies permanebis, quia ad amicos meos pergo et de omnibus necessariis pro nupciis celebrandis prouidebo.“ Que ait: „Presto sum per omnia voluntati vestre subici.“ Miles ei vale fecit. Illa ad castrum eius perrexit. Dum autem miles extra patriam fuisset, vt conuiuia prepararet, tyrannus ad castrum militis accessit, in qua puella erat. Pulsabat: illa vero introitum negauit. Tyrannus vero incepit multa promittere et eam in vxorem honorifice ducere. Illa vero dictis eius credens eum introduxit, et ambo nocte illa simul dormierunt. Miles post mensem[1] rediit, ad ianuam castri pulsabat. Puella ei non respondit. Ille hec videns cum cordis amaritudine dixit: „O bona puella, ad memoriam reduc, quomodo[2] te saluaui a morte, et michi fidem dedisti. Loquere michi, bona puella, et ostende michi faciem tuam!“ Illa vero quandam fenestram apperuit et ait: „Ecce ego sum! Iam non proponas, quidquid pla|cet|[3]!“ Qui ait: „Miror de te, quod ignoras, quid et quantum pro te fecerim, cum vulnera (*Bl.* 13*v.*) diuersa pro te acceperim. Si michi non credis, corpus tibi ostendam.“ Statim vestimenta deposuit et ait: „Ecce, karissima, vulnera diuersa, que recepi pro vita tua! Aperi ergo michi ianuam, vt te michi accipiam in sponsam!“ Illa vero faciem ab eo auertit et ianuam non aperuit. Miles cum hec audisset, iudici est conquestus et pro se legem allegauit dicens: „Raptam liberans ducat eam, si vult! Ego eam liberaui de morte raptoris; ideo peto eam in vxorem.“ Iudex hec audiens pro muliere et raptore misit. Qui cum venissent, ait iudex raptori: „Karissime, numquid istam mulierem rapuisti, et iste miles de manibus tuis eam[4] liberauit?“ At ille: „Eciam, domine.“ „Ergo secundum legem pro sua voluntate vxor eius erat[5]. Quare post hoc de vxore[6] alterius te intromisisti, quando castrum eius intrasti?“ Ille vero obmutuit. Conuersus ad mulierem dixit: „O tu puella, iure duplici vxor istius fuisti: primo quia te de manu raptoris liberauit, secundo quia sibi fidem dedisti. Quare ergo post hec ianuam castri

---

[1] *B* mensam. [2] *B* et quomodo. [3] *AB* placet. [4] *AB* eam de manibus. [5] *B* est. [6] *in B fehlt* quare post hoc de vxore.

non aperuisti et cum introduxisti?“ Illa vero non poterat respondere. Iudex statim sentenciam dedit, vt ambo in patibulo suspenderentur. Et sic factum est[1]. Omnes vero iudicem laudabant, qui talem sentenciam dedit[2].

Cap. 28 (*Bl.* 13*v.*).

Diuisio fratrum ex libera et ex ancilla.

Narratur, quod lex fuit, quod frater senior hereditatem diuideret et iunior eligeret. Cuius racio erat, quod maioris discrecionis est (*Bl.* 14*r.*) diuidere quam eligere, senior autem discrecior esse[3] debet. Alia lex fuit, quod liceret, filium ex ancilla hereditatem portare sicut filii liberi. Contigit ergo duos fratres, vnum de libera, alium de ancilla, hereditatem diuidere. Frater vero senior sic diuisit[4]: ex vna parte totam hereditatem posuit et ex alia matrem fratris sui. Frater autem preelegit matrem et hereditatem dimisit sperans de curialitate[5] fratris sui; sed ab eo nichil optinebat. Adiit iudicem, fratrem accusauit, quod eum ab hereditate exclusisset. Respondit frater suus et dixit, quod non eum decepisset, quia ille, qui eligit, non qui diuidit, circumscribit.

Cap. 29 (*Bl.* 14*r.*).

De ciuitate obsessa et curialiter liberata.

Quidam princeps erat, nomine Cleoninus, cuius populus in ciuitate quadam claudebatur obsessus. Volens autem caute populo suo[6] consulere, quid eis vtilius expediret, precepit, vt vnus de militibus suis obsidionem accederet, qui obsidentibus insultum preberet. Ordinauit, quod in telis suis, lanceis et sagittis artificialiter scriberetur: „Confortamini in domino et estote fideles in obsidione! In proximo Cleoninus venio et obsidionem amouebo.“

Cap. 30 (*Bl.* 14*r.*).

De principe, qui adversarios toxicauit.

De quodam principe narratur, qui, cum omnibus viribus suis non posset hostes deuincere, fecit hanc cautelam. Simu-

[1] *fehlt in A.* [2] *A* qui recte iudicauit. [3] *AB* debet esse. [4] *B dahinter* quod. [5] *B* curialitatem. [6] *A* suo populo.

lauit fugam et castra sua cum uictualibus[1] hostibus dereliquit. In quibus dolea multa plena vino infecta dimisit per semen cuiusdam herbe, ita quod homo bibens[2] de uino illo statim obdormiuit. Sciuit eciam hostes esse famelicos et gulosos, qui semper vinum cum gaudio ad uotum suum biberent. Statimque quasi semimortui dormire compellebantur. Super (*Bl.* 14*v.*) quos principes redeuntes omnes ad libitum occiderunt[3].

Cap. 31 (*Bl.* 14*v.*).

De tribus anulis.

Miles quidam erat, qui tres filios habuit, qui cum mori deberet, primogenito suo dedit hereditatem, secundo filio thezaurum suum, tercio vero filio anulum preciosum, qui plus valuit quam aliorum duorum possessio. Duobus primis dedit anulos duos non tam preciosos. Omnes anuli fuerunt eiusdem forme, sed non eiusdem virtutis. Post mortem patris dixit primus filius: „Ego habeo anulum patris mei preciosum.“ Secundus dixit: „Et similiter ego.“ Tercius frater[4] respondit: „Non, inquit, est iustum, quod vos eum habeatis, eo quod senior habet hereditatem, alius thezaurum. Sed ego, vt spero, preciosum anulum habeo.“

Cap. 32 (*Bl.* 14*v.*).

De duobus draconibus.

Narrat Albertus, quod tempore Phylippi erat via, que ducit inter duos montes Armenie, que diu erat frequentata. Subito autem accidit nullum transire viam[5] propter infectionem aeris, nisi exspiraret. Vnde rex a sapientibus causam[6] huius mali quesiuit, et nullus ex eis respondere poterat. Tandem vocatur Socrates: dixit regi, quod edificium faceret equalis altitudinis cum montibus. Quo facto fecit Socrates fieri speculum de calibe plane superficiei[7] politum et mundum, vt ab omni loco moncium foret reflexio ad speculum. Quo facto intrauit Socrates edificium et vidit duos dracones, vnum ex

[1] *Hs., ebenso auch AB* ductualibus; *Oesterleys Text* victualibus. [2] *B* libens. [3] *B* compellebantur. Omnes ad *etc.* [4] *A* similiter. [5] *A* viam transire. [6] *Hs.* casam, *AB* causam. [7] *B* plana superficie.

parte montis, alium ex parte vallis, qui contra se mutuo ora aperiebant et aerem[1] hauserunt. Et dum sic respiceret, quidam iuuenis in equo[2], qui periculum ignorabat, volens transire per uiam illam subito de equo cecidit et mortuus est. Socrates statim ad regem cucurrit et omnia visa[3] regi nunciauit. Capti sunt dracones et per artem interfecti, et sic via salutis omnibus transeuntibus est facta.

Cap. 33 (*Bl.* 15*r.*).

De sarcofago invento.

Legitur de quodam imperatore romano construente sibi basilicam optimam. Et fodiens in fundamento palacii[4] inuenit sarcofagum aureum[5] tribus circulis aureis circumdatum. Et talis erat superscripcio: „Expendidi, donaui, seruaui, habui, habeo, perdidi, punio. Quod expendidi, habui; quod donaui, habeo.“

Cap. 34 (*Bl.* 15*v.*).

De Argo et vacca cum cornibus aureis.

Erat quidam nobilis, qui habebat vaccam candidam, quam miro modo dilexit propter duo: primo quia totaliter candida, secundo quia plus quam alie III vacce lac dederat. Nobilis iste pre nimio amore ordinauit pro vacca duo cornua aurea. Deinde intra se cogitabat, cui posset committere vaccam ad custodiendum. Erat ei intimatum, quod erat quidam homo, nomine Argus, qui centum oculos habebat et verax in omnibus erat. Statim nuncium ei misit, ut ad eum cito[6] veniret. Qui cum venisset, ait ei nobilis: „Karissime, ecce vaccam meam cum cornibus aureis tue custodie committo. Et si eam bene custodieris cum cornibus, ad magnas diuicias te promouebo: si vero cornua fient perdita aut furtiue ablata, aut vacca, amen dico tibi, morte morieris.“ Argus vero vaccam cum cornibus recepit et secum duxit. Singulis diebus ad pascua cum ea perrexit et eam diligenter custodiuit. Erat quidam homo cupidus, nomine Mercurius, subtilis valde et precipue in

[1] *A* aera. [2] *Hs., wie auch AB* equis; *Oesterleys Text* equo. [3] *A* via, *B lässt das Wort aus.* [4] *alle drei Hss.* palacium, *aber Oesterleys Text* palacii. [5] *alle drei Hss. haben hier noch einmal* inuenit. [6] *fehlt in B.*

arte musicali, qui miro modo vaccam cum cornibus cupiebat. Sepius ad Argum veniebat, vt cornua aurea prece vel precio ab eo optinere posset[1]. Argus vero tenens in manibus suis baculum pastoralem ante se in terram figit et ait baculo in persona domini sui: „Tu es dominus meus. Nocte ista ad castrum tuum venio. Tu michi dicis: 'Vbi est vacca cum cornibus?' Ego respondeo: 'Ecce vacca sine cornibus! Me dormiente latro abstulit cornua.' Tu dicis: 'O miser, numquid centum oculos habes? Quomodo erat, quod omnes dormierunt et latro cornua abstulit? Hoc est mendacium.' Et sic filius mortis sum ego, quia propter diuersos oculos vacca cum cornibus erat michi tradita, vt vigilarem. Istam viam nolo accipere. Si dicam: 'Vendidi vel dedi', ero proditor et falsus domino meo. Viam istam capere nolo." Dixit Mercurio[2]: „Perge viam tuam, quia nichil a me optinebis!" Mercurius hec audiens recessit illo die. Sed die altera cum arte musicali et instrumento suo venit. Qui cum venisset, cepit cum Argo fabulas narrare, deinde cantare, cordas cythare percutere, donec Argi occuli dormire ceperunt. Duo post duos dormierunt. Quod cernens Mercurius caput Argi ipso dormiente protinus amputauit et vaccam cum cornibus rapuit et secum duxit.

Cap. 35 (*Bl.* 16*r*.).

De fonte et sicca terra.

Plinius narrat, quod est quedam terra, in qua nec ros nec pluuia descendit. Vnde maxima est ibi siccitas et defectus aque. Ibi est tantum vnus fons, qui aquam in profundo habet. Vnde cum ibidem homines aquam volunt habere, accedunt ad fontem cum omni genere musicorum, quod habent, et circuunt fontem. Dulcem faciunt melodiam. Post melodiam aqua ascendit ad os fontis et fluit in habundancia. Et sic homines aquam capiunt et recedunt.

Cap. 36 (*Bl.* 16*r*.).

De eo, qui nomen suum perpetuare voluit.

Valerius narrat, quod quidam nobilis sapientem consuluit, quomodo posset nomen suum perpetuare. Respondit, quod si

[1] *B* obtineret. [2] *Hs.* Mercurius *mit halb ausradiertem* s, *A* Mercurius *durchgestrichen*, *darunter* Argus, *B* Mercurio.

virum illustrem occideret. Quo audito Phylippum, Allexandri patrem, occidit, vt nomen acquireret sibi. Sed ille misera morte mortuus est.

Cap. 37 (*Bl.* 16*r.*).

De Amone, quem naute volebant occidere.

Refert Agellinus de Amone[1], qui cum ditissimus esset et transire vellet de vno regno ad aliud, conduxit nauem. Sed naute pro pecunia sua eum occidere volebant. Sed ipse ab eis inpetrauit, vt prius canere posset. Ad cuius cantum delphynus, qui in cantu hominum delectatur, eum suscepit et ad terram portauit. Et dum naute eum mortuum crederent, ipse apud regem eos accusauit, qui coram rege positi vincti sunt et dampnati. Ipse vero de angustia liberatus est.

Cap. 38 (*Bl.* 16*r.*).

De rege, quem inimici veneno interfecerunt.

De quodam rege narratur, quem inimici cogitabant occidere, et quia potens erat rex[2], veneno perdere voluerunt. (*Bl.* 16*v.*) Venerunt ad eum aliqui simplici veste, vbi manebat iuxta ciuitatem, quia ibi erat fons aque, de quo rex multociens bibebat, quia ceteros liquores abhorrebat propter infirmitatem. Fontem vero intoxicauerunt vndique. Rex vero ignorabat, quod fons fuisset venenatus, bibit, sicut[3] solitus erat, et mortuus est.

Cap. 39 (*Bl.* 16*v.*).

De lapide magnete et lapide eamundo.

Dicit Ysidorus, quod est quidam lapis, qui magnes vocatur, qui ferrum ad se trahit. Sed est alius lapis eamundus[4]. Est[5] de maiori fortitudine. Vnde per suam fortitudinem facit ferrum ad eum reuertere et magnetem dimittere.

Cap. 40 (*Bl.* 17*r.*).

De bestiis.

Basilius dicit in exameron, quod quedam bestie sunt ordinate ad laborandum et non valent ad comedendum, sicut

[1] *B* Amore. [2] *B* regis. [3] *A* sic. [4] *B* adamas. [5] *B* et est.

equus, mulus et[1] asinus. Alie bestie sunt ordinate ad comedendum et nichil valent ad laborandum, sicut oues, porci, galline, auce, pauones. Sunt eciam alie bestie, que nichil valent nec ad comedendum, nec ad laborandum, sed ad domum custodiendam, purgandam, vt canes, cati: canes custodiunt, catti purgant.

Cap. 41 (*Bl.* 17*r.*).

De rege et milite animalia destruente.

Erat quidam rex potens valde, qui quandam forestam fecerat et eam muro vallauit, in qua diuersa genera animalium posuit, in quibus multum delectabatur. Erat quidam miles, qui proditor inuentus est. Vnde propter sua scelera omnibus possessionibus ac bonis suis priuatus est. Ille vero de terra sua expulsus prouidit sibi IV genera canum et multa recia, ut animalia regis destrueret. Nomina canum hec erant: Rycher, Euvilemyn, Hanegif, Ebandyn[2], Tristuvel, Egloffyn[3], Beamys, Etenelin[4]. Per istos canes et recia destruxit quasi omnia animalia. De qua destructione contristatus est rex valde.

Cap. 42 (*Bl.* 18*r.*).

De rege et dicto Cesare.

Legitur in gestis Romanorum, quod erat quidam senex valde princeps Romanorum, nomine Pompeius, qui duxit filiam cuiusdam nobilis, qui Cesar vocabatur. Hii duo conuenerant inter se, quod tocius orbis dominium suo imperio subiugarent. Accidit, vt Pompeius mitteret Cesarem ad expugnandum plagas diuersas, quia iuuenis erat et ipsum decuit laborare; ipse autem tamquam principalis custodiret ciuitatem romanam et plagas illas. Prefixit tamen sibi certum tempus redeundi sub spacio quinque annorum: quod si non faceret, iure suo perpetuo priuaretur. Cesar autem exercitum collegit et ad illas partes perrexit. Inueniens homines bellicosos, quos non potuit in prefixo tempore superare, malens Pompeium offendere quam bellum dimittere ex capite proprio alienauit se aliis quinque annis. Quod grauiter portans Pompeius interdixit sibi ciuitatem romanam, ita quod non auderet ad eum

[1] *in AB fehlt* et. [2] *A* Ebadin. [3] *A* Egolffin. [4] *AB* Etnelin.

vlterius appropinquare. Cesar autem finito bello iter arripuit versus Romam. Venit per quandam aquam cum exercitu suo, que quidem aqua vocabatur Rubicon. Et apparuit ei quedam ymago magna stans in medio aque et loquebatur ad Cesarem dicens: „Cesar, si venias pro pace romana, liceat tibi vsque huc venire; sin autem, non presumas intrare!“ Cui Cesar respondit: „Semper ego militaui et paratus fui omnes labores sustinere pro honore ciuitatis romane ampliando et semper volo, diis meis testibus, quos adoro.“ Hiis dictis ymago disparuit. Post hec statim Cesar percusso dextrario flumen transiuit. Sed cum pro transito flumine stetisset, ex alia parte mox ait: „Hic pacem temerataque iura relinquo.“ Et ab illo die non cessauit[1] Pompeium persequi et, in quantum potuit, destruere nitebatur.

Cap. 43 (*Bl.* 18*v.*).

De consuetudine et candela.

Narratur, quod antiquitus erat mos Romanis, [quod], quando castrum vel ciuitatem aliquam obsedebant, vnam candelam certe mensure primitus accendebant et, quamdiu candela ardebat, parati erant omnes ad pacem recipere et ad concordiam. Sed postquam candela consumpta fuerat, omnes iusticie seueritatem exercebant in hostes suos, nec cum aliquo, licet omnia bona sua daret, misericordiam facere voluerunt.

Cap. 44 (*Bl.* 18*r.*).

De rege expulso.

Refert Iustinus, quod ciues Lacedemonie semel conspirauerunt contra regem suum et preualentes contra eum de ciuitate sua expulerunt eum et[3] regno. Accidit tunc temporis, quod rex Persarum eandem moliebatur destruere ciuitatem. Rex autem expulsus ciuitatem suam quamuis ingratam non potuit non[4] amare. Cum autem explorasset et didicit machinacionem regis Persarum contra ciuitatem suam Lacedemoniam, cogitauit, quomodo posset latenter et prudenter intimare totam

[1] *B* cessaui. [2] *nach Oesterleys Texte eingeschoben.* [3] *AB* et de. [4] *fehlt in B.*

machina-(*Bl.* 19*v.*)cionem regis Persarum ciuitati predicte. Acceptis tabulis nudam scripsit in eis totam machinacionem et vna[1] cum hoc unam[2] informacionem specialem, quomodo possent resistere et defendere ciuitatem contra eum. Et cum totum scripsisset, quod volebat, superliniuit scripturam suam cera et accepto nuncio fide digno direxit eas ad magistratus ciuitatis. Sed tabulis receptis et diligenter inspectis nulla littera apparebat, sed tantummodo cera plana[3]. Questio facta est de tabulis in communi, vt vnusquisque diceret ymaginacionem suam, quid esset de tabulis faciendum; sed non est inuentus, qui earum posset aperire intellectum. Accidit autem, quod soror dicti regis |audita|[4] perplexitate[5] istarum tabularum peciit a magistratu, vt posset eas videre. Quibus prudenter inspectis cepit calliditate feminea parum |de cera|[4] eleuare, statimque apparuit littera occultata. Cumque plus de cera eleuasset, plus de littera apparebat. Sicque tota cera deleta legi poterat, quidquid erat ei scriptum. Et sic erat ciuitas liberata.

Cap. 45 (*Bl.* 19*v.*).

Contra potentes.

Narrat Augustinus, quod Egypcii olim volebant deificare Ysidem et Serapem. Isto modo processerunt. Primo legem sanxerunt, quod quicunque diceret eos esse homines vel aliquid de eorum genealogya[6] narraret, capite plecteretur. Statimque duas ymagines statuerunt. Secundo, vt lex predicta nullum lateret, in omni templo, vbi eorum ymagines colebantur, semper iuxta eas ponebatur vnum paruum ydolum habens digitum suum labiis applicatum, vt per hoc faceret signum silencii ingredientibus illa templi *(sic)*, vt sic ab omnibus veritas taceretur.

Cap. 46 (*Bl.* 19*v.*).

De hereditate.

Narratur, quod erat quidam rex Medorum[7], qui vnicum filium habuit heredem. Filius deliquit in patrem; pater eum fugauit. Hoc facto filius fugit ad regem Persarum, inimicum

[1] *in AB fehlt* vna. [2] *B* vnam cum hoc. [3] *AB* plena. [4] *nach Oesterleys Texte.* [5] *B* perplexitatem. [6] *Hs. und B* genelogya, *A* genologia. [7] *A* Medeorum.

et emulum patris sui, et iurauit ei, quod teneret cum eo paratus ad mortem pro eo et, si neccessitas hoc requireret, contra patrem suum proprium. Tandem ortum est bellum inter dictos reges. Prelium aggrediunt[1], et ex assensu mutuo duo reges soli simul pungnauerunt. Accidit, ut rex Medorum vulneraretur grauiter vsque ad sanguinis effusionem. Quod videns filius eius considerans, quod sanguis proprius effunderetur, statim accurrit ad patrem et pugnauit pro eo contra dominum suum et vicit eum. Hoc facto dominus suus reliquit eum[2], quia non tenuit pactum. Et ipse tunc rediit ad patrem suum et veniam petiuit. Et sic pax est reformata et hereditas sibi restituta.

Cap. 47 (*Bl.* 20*r.*).

De toxicacione.

Refert Augustinus, quod moris erat antiquitus, quod corda imperatorum post mortem eorum comburerentur et cineres in eminenciori loco locari deberent[3]. Contigit autem, quod quidam moriebatur, cuius cor non potuit concremari. Multis autem super hoc mirantibus, omnes rethores et sapientes illius prouincie citauerunt, et ab eis causam inquirentibus tandem dixerunt, quod[4] imperator ille fuisset intoxicatus et propter latens venenum accendi non potuit cor illius. Tunc illi extrahentes cor illius[5] de igne apposuerunt thyriacum sicque venenum fugauerunt. Et cum iterum cor ad ignem poneretur[6], mox in cineres est redactum.

Cap. 48 (*Bl.* 20*r.*).

De mago et mundo.

Narratur de quodam mago, qui habuit quendam ortum pulcherrimum, in quo tot erant flores redolentes, tot fructus suaues, tot diuicie et delicie, quod delectabile fuit ibi esse. Hunc locum nunquam volebat ostendere nisi fatuis et inimicis suis. Et cum essent introducti, viderunt tot et tanta gaudia, quod admirabantur. Quesierunt, vbi essent: responsum est eis, quod in paradyso.

[1] *AB* aggrediuntur. [2] Hoc facto *bis* eum *fehlt in B.* [3] *B* deberet. [4] *B* quare. [5] *AB* cor illius cor digne. [6] *AB* ponerent.

Cap. 49 (*Bl.* 20*v.*).

De obtentu misericordie.

Narrat Eusebius in cronicis de quodam imperatore, qui populum romanum in maxima equitate rexit nulli parcens, tam diuitibus quam pauperibus. Senatores romani propter hoc cum imperio priuauerunt et tamquam pauperem fugere compulerunt. Ille statim accessit ad Constantinum et cum eo stetit itaque sapienter et tam strennue habuit, quod post eum electus fuit in imperatorem. Qui congregato exercitu Romam obsedit. Et cum Romani euadere non possent, quin ab eo caperentur, inito consilio primo miserunt ad eum seniores ciuitatis, qui nudis pedibus et distincti coram eo se prostrauerunt misericordiam petentes. Qui cum optinere non possent, iuuenes eorum miserunt. Nec illi expedire potuerunt. Tercio mulieres; et non valuerunt. Vltimo sibi miserunt parentes suos, quos habuit in ciuitate simplices. Inter quos mater eius affuit, que denudans pectus ostendit ei vbera, que suxerat, ventrem, in quo iacuerat, pectus, ad |quod|[1] caput inclinauerat. Quod cum[2] videret imperator, naturali amore compaciens totaliter offensam remisit.

Cap. 50 (*Bl.* 20*v.*).

De vidua et tiranno et tribus regibus.

Qvedam domina erat nobilis, que paciebatur multas iniurias a quodam tyranno, qui vastauit eius tenenta[3] et terram. Illa vero cottidie lacrimas emisit et in amaritudine posita est. Accidit, quod venit quidam peregrinus iuxta eam, vbi manebat: vidensque eius desolacionem pietate motus bellum pro ea dedit eo pacto, quod, si in bello moreretur, baculum eius et peram priuatim in camera sua custodiret, vt eius memoriam haberet et sibi grata esset. Peregrinus vero ad bellum acceptans tyrannum deuicit et ipse in prelio vulneratus oc-(*Bl.* 21*r.*) cisus est. Quo audito domina fecit, quod promisit. Sed postea venerunt ad istam dominam tres reges eam in vxorem petentes. Ista intra se cogitabat: „Forte isti tres reges cameram meam volunt intrare. Verecundum erit michi, quod

[1] *nur in B.* [2] *AB* cumque hoc. [3] *B* territoria. [4] *B* vulneratus et occisus est.

ibi videbunt baculum peregrini et peram.“ Que iussit ea amouere nec ibi vltra comparere. Sic pacti sui oblita et ingrata facta est.

Cap. 51 (*Bl.* 21*r.*).

De bello troiano.

Ovidius refert de bello troyano, quod Helena fuit capta a Paride et post prophetatum fuit, quod ciuitas troyana non esset subiecta, quousque Achylles mortuus esset. Mater eius hec audiens cum in quadam camera inter domicellas cuiusdam regis in habitu muliebri[1] occultauit. Quod intelligens Vlixes nauem cum mercimoniis portauit ponens eciam[2] ornamenta muliebria et arma splendencia et sic ad castrum deuenit, vbi Achilles cum domicellabus[3] manebat inclusus, qui statim, vt nauem cum ornamentis et armis vidisset, illam cum domicellis intrauit ad mercimonia emenda. Sed cum Vlixes curiose tractasset arma et illa apprehendere solicitasset Achillem[4], hastam arripuit et vibrauit, et sic patuit res. Quem Vlixes apprehendit et ad Troyam secum duxit. Quo vivente Troyani preualuerunt: ipso vero mortuo capta est Troya, et obsides partis aduerse liberati.

Cap. 52 (*Bl.* 21*r.*).

[De pannis diuersi generis et coloris.]

Regina quedam concepit filium de seruo rustico. Filius postea viciose se habuit in conspectu principis, patris sui putatiui. Princeps vero diligenter a regina quesiuit, si filius suus esset. Qui tandem per confessionem regine inueniens non esse filium suum, nolens tamen eum priuare a regno, regnum suum sibi dedit, sed sic ordinauit, quod pannos suos diuersi generis et coloris faceret, medieta-(*Bl.* 21*r.*)tem de vilo panno et medietatem de optimo panno, vt, quando vilem respiceret, a superbia et vicio quocunque retraheretur: quando vero pannum nobilem, non omnino deiceretur nec nimis humilem se exhiberet.

[1] *A* mulieri. [2] *B* et. [3] *B* cum domicella. [4] *B* Achilles.

Cap. 53 (*Bl.* 21*v.*).

De rege et senescalco et tribus amicis.

Narratur, quod quidam imperator nobilis habuit filiam pulcram sibi similem, quam commisit senescalco suo custodiendam et peregre profectus est. Promisit senescalco magnum honorem, si bene eam custodiret vsque ad reditum suum. At ille oblitus est preceptum domini sui. Tractauit eam male, in tantum quod misera facta est et totam pulcritudinem amisit. Post modicum tempus misit imperator nuncios senescalco pro filia sua sibi reddenda. Non reddidit. Tandem peremptorie est citatus. Vocauit tres amicos, in quibus confidebat, vnum, quem plus quam se |dilexit|[1], alium, quem tantum sicut se ipsum, et tercium modicum, querens ab eis consilium, quomodo responderet in conspectu tanti domini[2]. Dixit primus, quod duceret eum ad exitum domus. Alter dixit, quod duceret eum ad portam, et tercius promisit[3], quod eum duceret ante dom|in|um et pro illo responderet. Statim fecit puellam lauari et vngentis optimis inungi et vestimentis preciosis indui, ita quod nulla penitus macula in illa appareret. Et sic factum est.

Cap. 54 (*Bl.* 21*v.*).

De rege et tribus filiis et arbore.

Valerius[4] in ciuitate romana regnauit diues valde[5], qui omnia ad libitum habebat. Iste vero tres filios inter cetera habuit et seruientes innumerabiles et reddidit vnicuique seruienti[6] mercedem suam. Aliis dedit possesiones, aliis aurum et argentum, ita quod distri-(*Bl.* 22*r.*)buit tantis seruientibus, quod sibi et heredibus suis nichil retinuit excepta quadam arbore. Fructus arboris erat talis, quod, quicunque infirmus ex eo commederet excepto leproso, sanitatem optineret. Cum vero moreretur, lignum tribus filiis legauit. Sed iunior per iudicium lignum occupauit.

[1] *nur in A.* [2] *AB* domini sui tanti. [3] quod duceret *bis* promisit *fehlt in B.* [4] *A* Valerianus. [5] *AB* valde diues. [6] *alle drei Hss.* seruiente.

Cap. 55 (*Bl.* 22*r.*).

De rege et filia et cane et tribus cathenis.

Legitur de quodam imperatore vnicam filiam habente[1] et canem cum vinculo, qui semper machinabatur in morte filie sue; et ideo iussit canem ligari tribus cathenis. Habebatque senescalcum, quem dilexit. Imperator iste peregre profectus est. Timuit de filia; illam[2] senescalco commendauit et canem. Precepit, vt omnia neccessaria filie sue ministraret, vt nullum defectum haberet, et canem super omnia sic ligaret ac custodiret, ne malum alicui perpetraret. Senescalcus omnia promisit fideliter adimplere, sed post exitum imperatoris omnia in contrarium egit, quia canem bene pauit, puelle autem neccessaria subtraxit nec canem custodiuit, sicut debuit. Et ideo infra paucos dies canis cathenas fregit et puellam occidit.

Cap. 56 (*Bl.* 22*r.*).

De adulterio.

Mulier quedam duos filios in adulterio concepit et peperit. Primus filius factus est heremita et pro matre intime in oracionibus suis rogauit. Deus vero preces eius exaudiuit, ostendit ei matrem suam, que ei apparuit cum duobus buffonibus et serpente.

Cap. 57 (*Bl.* 22*r.*).

De rege serpentem soluente.

Legitur de quodam imperatore, qui a casu per quandam siluam transiit, inuenit serpentem a pastoribus captum et ad arborem alligatum. Qui pietate motus eum soluit et in sinu calefacere fecit. Cum esset calefactus, incepit mordere. Ait imperator: „Quid facis? Cur malum pro bono reddis?“ Ait serpens: „Quod natura dedit, nemo[3] (*Bl.* 22*v.*) tollere potest. Et ideo secundum naturam facio.“ Qui ait: „Bonum tibi feci, et illud michi male soluis.“ Illis sic contendentibus vocatus est quidam philosophus, vt esset iudex, et ei totum processum narrauit. Ait philosophus: „De hac causa per auditum ignoro iudicare[4], sed volo, vt serpens ligetur vt prius, et tunc iudicium

[1] *alle drei Hss.* habentem. [2] *B* illa. [3] *AB* homo nemo. [4] *Hs.* iudicare, *AB* iudicare.

dabo.“ Et sic factum est. Tunc ait[1] philosophus: „Serpens si potest euadere, discedat! Et tu, imperator, noli amplius laborare, vt serpentem soluas, quia semper facit, quod natura dedit!“

Cap. 58 (*Bl.* 22*v.*).

De ianitore et gipposo.

Qvidam imperator erat, qui ianitorem prudentem habebat, qui a domino suo peciit, vt se[2] ianitorem ciuitatis per mensem faceret, ita quod ab omni gybboso, scabioso et inpetiginoso et hernioso[3] denarium haberet. Imperator ei concessit et sigillo roborauit. Qui ministerio suscepto stetit in porta ciuitatis, vt videret euntes et transeuntes, si lucrum ex officio posset habere. Quodam vero die gybbosus bene cappatus portam intrauit. Ianitor ei obuiam habuit et denarium ab eo peciit[4] secundum imperatoris preceptum. Gybbosus ei nichil dare voluit. Manus in eum iniecit et cappucium accipere voluit. Cum autem cappucium leuare volebat, invenit eum monoculum. Statim ianitor II denarios ab eo[5] peciit. Noluit dare, sed volebat fugere. Sed ianitor eum per cappucium traxit, et nudato capite scabiosus apparuit. Statim tres denarios peciit[6]. Gibbosus hoc videns incepit ei resistere, nudatisque brachiis apparuit inpetiginosus. Ianitor vero IV denarios postulabat. Cui defendenti cappam abstulit, et cadente illo[7] hernioso apparuit. V ergo denarios ab eo peciit. Sic contigit[8], vt qui vnum denarium dare noluit, V invitus dedit.

Cap. 59 (*Bl.* 22*v.*).

|De muliere monoculi.|

Miles quidam perrexit, vt vineam vindemiaret. Quod cum vxor eius percepisset, |que|[9] vnum alium amore inordinato dilexit, nuncium ad amasium misit, vt ad eam veniret. Cum

[1] *Hs.* eit, *AB* ait. [2] *AB* eum. [3] *A* hernioso *doppelt.* [4] *der Schreiber ist von hier bis zum folgenden* peciit *übergesprungen, das Ausgelassene aber von ihm selbst am Fusse der Seite nachgetragen.* [5] *fehlt in B.* [6] *Hs.* statim tres denarios peciit, statim III denarios postulat. [7] *AB* ille. [8] *B* contingit. [9] *fehlt in allen drei Hss.*

autem (*Bl* 23*r*.) venisset, cameram intrabant et simul dormierunt. Sed cum in lecto sic iacerent, accidit, vt maritus eius, ramo vinee in occulo percussus, cito domum rediret nichil cum occulo percusso videns. Venit domum, hostium pulsabat. Quod vxor intelligens nimis turbata amasium abscondit, postea viro suo hostium aperire cucurrit, qui intrans grauiter pro occulo tristis et dolens iussit cameram et lectum parari[1], quo posset quiescere. Timensque vxor, ne intrans cameram latitantem[2] videret, dixit ei: „Cur tantum properas lectum intrare? Dic michi, care, prius, quid est tibi?“ Narrauit ei, quod accidit. At illa: „Permitte me, domine, inquit, vt occulum sanum medicinali arte confirmem carmine, ne ita eueniat sano sicut iam percusso, quia dampnum tuum nobis est commune!“ Apponensque os suum ad occulum sanum tamdiu fouit, quovsque amasius a loco, vbi absconditus erat, nesciente viro discessit. Tunc illa erigens se ait: „Modo, inquit, karissime vir, secura sum, quod nullum malum huic occulo eueniat, quale alteri euenit. Iam potes, si placet, ad lectum ascendere.“

Cap. 60 (*Bl.* 23*r*.).

De milite illuso a muliere.

Erat quidam miles, qui peregre proficiscens[3] commisit vxorem suam sue socrui. Vxor autem alium amauit et matri indicauit. Mater[4] ei consensit. Accidit autem, quod semel filia cum amasio epulabatur. Epulantibus illis superveniens maritus hostium pulsauit. Consurgens mulier amasium abscondit in lecto et postea domino hostium apperuit. Qui cum intraret[5], precepit, vt lectus ei pararetur, lassus namque quiescere voluit. Turbata mulier dubitauit, quid faceret. Quod mater videns ait: „Ne festines, filia, lectum parare, donec monstremus marito tuo lintheum, quod fecimus!“ Vetula erigens lintheum, quantum potuit, per vnum cornu, alterum filie sue dedit subleuandum. Sic lintheo extenso delusus est maritus, donec qui latebat, egressus erat. Tunc ait filie sue:

[1] *A* parare. [2] *A* latttentem. [3] *B* proficiscebatur. [4] *B* ac mater. [5] *B* intrare.

„Extende lintheum super lectum mariti tui, quod manibus tuis meisque contextum est!“ Et sic euasit amasius, et vir est delusus.

Cap. 61 (*Bl.* 23*v.*).

De vetula et canicula.

Imperator quidam erat, in cuius imperio erat quidam miles, qui vxorem nobilem et castam habebat atque decoram. Contigit, quod miles vellet ad peregrinandum ire; sed alium custodem vxori sue deputare noluit nisi semetipsam, eo quod multum in ea confidit. Parato comitatu abiit. Vxor vero caste viuendo in omnibus remansit. Accidit semel, quod precibus compulsa cuiusdam vicine sue causa epulandi domum ingrederetur. Quo peracto ad propria remeauit. Qua quidam iuuenis asspecta ardenti amore cepit illam diligere et plurimos nuncios ad eam direxit cupiens ab illa, quantum audebat, amari. Quibus contemptis[1] eum penitus spreuit. Ille vero se omnino contemptum senciens adeo dolens efficitur, quod infirmabatur. Sepe tamen illuc ibat, sed nichil ei valuit, eo quod domina eum in omnibus spreuit. Accidit, quod semel iuuenis versus ecclesiam pergeret dolens ac tristis. Obuiam habuit ei quedam vetula, in populo sancta reputata, que cum iuuenem tristem vidisset, causam tante tristicie ab eo quesiuit. At ille: „Quid michi prodest tibi narrare?“ At illa: „O karissime, quamdiu infirmus abscondit a medico[2] infirmitatem, non potest curari[3]. Ideo ostende michi causam tanti doloris, et ego cum dei adiutorio te curabo!“ Iuuenis cum hec audisset, quomodo dominam illam diligeret, ei ostendit. Ait vetula: „Perge cito ad domum, quia cito te curabo!“ Iuuenis finita missa domum perrexit, et vetula ad propria remeauit. Vetula ista quandam caniculam habebat, quam duobus diebus ieiunare coegit et die tercia synapi panem confectum ieiunanti dedit. Quem dum gustasset, pre amaritudine occuli eius tota die lacrimabantur. Tunc vetula illa ad domum domine cum canicula perrexit, quam iuuenis dilexit. Statim a domina honorifice est suscepta, eo quod reputaretur esse sancta. Dum autem simul sederent, domina paruam caniculam lacrimantem respexit. Admirabatur,

[1] *B* conceptis. [2] *B* amen dico. [3] *B* curare.

quesiuit, quare lacrimaretur. Ait vetula: „O karissima amica, noli querere, quare lacrimetur, quia tantum dolorem hábet, quod vix possum tibi intimare!“ Domina vero magis eam[1] instigabat, vt diceret. Cui vetula: „Hec canicula erat filia mea casta nimis et decora, quam iuuenis quidam adamauit vehementer. Sed adeo casta erat, vt omnino eius amorem sperneret. Vnde iuuenis tantum dolens pre[2] dolore mortuus est. Pro qua culpa deus conuertit filiam meam in caniculam, sicut vides.“ Hiis dictis vetula incepit flere et ait: „Quociens filia (*Bl.* 24*r.*) mea recolit, quod tam pulchra puella erat et modo canicula, amare flet nec consolari potest, immo omnes ad fletus excitat iuxta eam pre nimio dolore.“ Audiens hec domina intra se cogitabat: „Heu michi, simili modo quidam iuuenis me diligit et pro meo amore infirmatur!“ Et totum processum vetule narrauit. Vetula hec audiens ait: „O karissima domina, noli amorem iuuenis spernere, ne forte et tu mutaberis in caniculam sicut filia mea, quod esset dampnum intollerabile!“ Ait domina vetule: „O bona matrona, date michi sanum consilium, ne fiam canicula!“ Que ait: „Cito pro iuuene illo mittas et voluntatem eius facias!“ At illa: „Rogo sanctitatem tuam, vt vadas ad eum et adducas eum. Scandalum posset fieri, si alius eum accederet.“ Cui vetula: „Tibi compacior: libenter tibi eum adducam.“ Et sic factum est. Iuuenis venit et cum domina dormiuit et sic per uetulam adulterium commisit.

Cap. 62 (*Bl.* 24*r.*).

De milite et vetula, que pecuniam reuocauit.

Miles quidam erat, qui intrauit Egyptum: cogitabat, quod vellet ibi pecuniam suam relinquere. Interrogauit, si aliquis fidelis ibi maneret, cui pecuniam suam custodiendam traderet. Audiuit, quod esset quidam fidelis senex. Accessit ad eum et mille talenta ei tradidit. Deinde ad peregrinandum perrexit. Facto itinere rediit ad eum, cui talenta commiserat, et commissa ab eo quesiuit. At ille plenus nequicia numquam eum[3] antea vidisse dicebat. Ille vero sic deceptus probos homines

[1] *AB* eam magis. [2] *A* dolens quod pre. [3] *B* eum se antea.

illius ciuitatis peciit et, quomodo per illum, cui peccuniam commiserat, tractatus fuisset, et totum processum eis retulit. Vicini eius talia audientes credere noluerunt, sed nichil esse testati sunt. Ille hec audiens contristatus est valde. Tamen singulis diebus ad domum eius ibat, qui ita res suas retinebat, blandis precibus deprecans, vt res sibi redderet. Quod deceptor audiens increpabat eum, ne[1] talia de eo amplius diceret (*Bl.* 24*r.*) neque ad eum rediret: quod si faceret, penas subiret[2]. Ille hec audiens tristis ab eo recessit. In recessu quedam vetula ei obuiam habuit, pannis heremitalibus induta habensque baculum in manu: et per viam leuando lapides, ne transeuncium pedes lederentur, locauit. Que videns eum flentem et cognoscens[3], quia extraneus esset, mota pietate eum vocauit et, quid ei accidisset[4], interrogauit. At ille ordinate ei narrauit, quomodo per senem sit[5] deceptus. At[6] illa: „Amice, si vera sunt, que retulisti, dabo tibi auxilium." At[6] ille: „Testis est michi deus; vera sunt vtique." Que[7] ait: „Adduc michi hominem de terra tua, quem dictis et factis fidem habere possis!" Ille vero adduxit. Quo adducto precepit vetula X cophinos emere preciosis exterius depictis coloribus ferroque ligatos cum ferraturis deargentatis lapidibusque minutis implere. Ipse vero ita egit. Mulier autem videns omnia parata ait: „Nunc super X homines perquire, qui mecum et cum socio tuo ad domum deceptoris tui euntes[8] cophinos defferant, vnum post vnum veniens ordine longo. Et quam cito primus intrauerit[9] et nobiscum acquiescat, veni audacter et interroga pro peccunia! Ego vero in deum confido, quod reddita tibi peccunia fuerit." Que non oblita incepti, quod predixerat, cum socio decepti ad domum deceptoris venit et ait: „Domine, iste extraneus mecum hospitatus fuit et vult ire ad patriam suam, sed querit prius peccuniam suam, que est in decem cophynis[10], alicui probo homini commendare, donec revertatur. Precorque, vt amore dei et mei in domo tua custodias. Et quia audiui et scio te probum hominem esse et fidelem, nolo alicui preter te solum dare peccuniam ad

[1] *A* de. [2] *B* quod si non faceret, eum penas subire. [3] *alle drei Hss.* cognouisset. *Die Änderung nach Oesterleys Texte.* [4] *A* accideret. [5] *B* sic esset. [6] *B* ac. [7] *B* qui. [8] *Hs. hat hinter* cophinos *noch einmal* euntes, *B* sint euntes. [9] *B* intrauit. [10] *B* cophinos.

custodiendum[1]." Et dum ita loqueretur, primus intrauit cophinum deferens. Interim deceptus[2] preceptorum vetule non oblitus, sed, ut iussus[3] erat, intrauit. Deceptor vero plenus nequicia et arte mala, vt vidit hominem, cuius peccuniam[4] celauerat, intrantem, timens, si peccuniam requireret, quod alius, qui adducebat suam, non committeret, contra eum sic adulando perrexit: „Amice, vbi fuisti? Veni et accipe peccuniam fidei mee iam diu commendatam[5], quam inueni." Ipse vero letus peccuniam recepit[6] agens gracias deo. Vetula autem hec videns[7] surrexit et ait: „Domine, ego et socius meus ibimus contra ceteros cophinos et festinabimus: tu vero exspecta, donec redeamus, et bene serua, quod iam adduximus!" Et sic liberatus est vir.

Cap. 63 (*Bl. 25r.*).

De diuite et puero per oleum decepto.

Qvidam homo erat, qui vnicum filium habebat, cui post mortem nichil preter domum dimisit. Qui cum magno labore vixit, in tantum quod vix neccessaria optinebat, et quamuis magna coactus inedia, tamen domum suam vendere nolebat. Puer iste habebat vicinum diuitem nimis, qui domum eius, vt[8] suam faceret largiorem, cupiebat emere. Sed puer nec prece nec precio vendere volebat. Quo comperto dives cogitabat domum a puero subtrahere. Incepit cum eo familiaritatem habere. Sed puer se undum posse suum[9] eius familiaritatem deuitabat. Denique contristatus dives, qui non potuit puerum decipere, quodam die ad eum venit et ait: „O puer, acommoda michi paruam partem curie tue precio, quia in ea X tenellos oleo plenos custodire volo! Et nichil tibi nocebunt, sed habebis inde aliquid sustentaculum vite." Puer autem, neccessitate coactus, concessit et dedit ei claues curie. Puer vero interim victum manibus acquisiuit more solito. At[10] dives acceptis clauibus pueri curiam suffodiens V tonellos[11] oleo plenos ibi recondidit et V dimidios. Hoc facto puerum aduocauit et

[1] *Hs.* custostodiendum. [2] *Hs. und A* deceptor. [3] *B* iussu. [4] *in B fehlen die Worte bis zum folgenden* peccuniam. [5] *B* commendandam. [6] *A* accepit. [7] *AB* audiens et videns. [8] *B* et. [9] *B* possessum. [10] *B* ac. [11] *AB* tenellos.

ei claues dedit et ait: „Puer, oleum meum tibi committo sub tua custodia.“ Puer vero simplex putans omnes esse plenos in custodia recepit. Post longum tempus contigit, quod in terra illa oleum carum factum fuit[1]. Dives hoc videns ait puero: „Amice, veni, adiuua me oleum effodere et premium a me accipias pro tua custodia!“ Puer concessit et eum iuuit. Dives vero plenus malicia adduxit secum illos, qui oleum emere deberent. Terram apperuerunt et V plenos et V dimidios inuenerunt. Statim dives puerum vocat dicens: „Amice, causa custodie tue oleum amisi. Nam quod tibi commisi, fraude abstulisti. Sed cito redde michi, que mea fuerunt!“ Hiis dictis puerum accepit et ad iudicem duxit. Sed puer respondere nesciuit, sed inducias vnius diei peciit: quod ei est concessum. In ciuitate illa morabatur quidam phylosophus, qui nominabatur auxilium gencium. Puer hec audiens ad eum perrexit querens consilium. Phylosophus autem cum totum processum pueri audisset, pietate motus ait: „Mediante diuina gracia te iuuabo.“ Mane autem facto phylosophus venit cum puero ad palacium. Iudex cum vidisset sapientem phylosophum, eum iuxta se sedere fecit et vocauit accusantes et accusatum et precepit, vt verba recita-(*Bl.* 25*c*.) rentur[2]. Et sic factum est. Tunc ait iudex phylosopho: „Bone magister, date iudicium!“ Ait phylosophus: „Precipe clarum oleum de quinque plenis tonellis[3] mensurari, vt scias, quantum ibi sit clari olei, et similiter de quinque dimidiis, vt scias, quantum in vtrisque[4] fuerit. Et si tantum spissi olei in dimidiis inueneris, quantum in plenis, scias oleum fuisse furatum. Si vero in dimidiis tantum spissitudinis inueneris, quantum clarum oleum ibi existens exigit, quod non poteris in plenis inuenire, scias, vtique oleum non fuisse furatum.“ Iudex hec audiens confirmauit iudicium. Factumque est ita per omnia, et sic puer est saluatus, et cupidus dampnatus[5].

Cap. 64 (*Bl.* 25*v*.).

De iniquo iudice.

Erat quidam imperator, qui statuit pro lege, quod sub pena graui quilibet iudex recte iudicaret. Accidit, quod quidam

[1] *AB* est. [2] *Hs. wiederholt hier* verba. [3] *AB* tenellos. [4] *B* vtriusque. [5] *Hs.* dapnatus; *aber AB* dampnatus.

iudex muneribus corruptus falsum iudicium dedit. Imperator cum hoc audisset, seruis suis precepit, vt eum excoriarent, quod amplius falsum iudicium non daret. Et sic factum est. Pellem eius in loco, vbi iudex sedere deberet, posuit ad designandum, quod quilibet iudex cogitaret, quod amplius falsum iudicium non daret.

Cap. 65 (*Bl.* 26*r.*).

De honoribus victoris et molestiis.

Quidam imperator erat, qui statuit pro lege, quod victori de bello redeunti fieret triplex honor et tres molestie. Primus honor, quod victori obuiabat populus cum leticia. Secundus, quod omnes captiui ligatis manibus et pedibus retro sequebantur. Tercius honor, quod victor indutus tunica Iouis sedebat in curru, quem trahebant IV equi albi, et ducebatur vsque ad capitolium. Ne tamen hiis honoribus obliuisceretur sui, triplicem molestiam oportebat illum victorem in illa die sustinere. Prima erat, quod ponebatur cum eo in curru quidam seruilis condicionis, vt daretur spes cuilibet, quantumcunque vilis condicionis proueniret, ad talem honorem, si probitas mereretur. Secunda molestia erat, quod iste seruus eum colaphyzabat[1], ne nimis superbiret, et dicebat ei: „Nosce te ipsum et noli superbire de tanto honore! Respice post te! Hominem te esse memento!“ Tercia molestia erat, quod in illa die licebat cuilibet dicere in persona triumphantis, quidquid vellet, scilicet omnia opprobria, victori.

Cap. 66 (*Bl.* 26*r.*).

De morte Allexandri et phylosophys.

De morte Allexandri cum sepultura eius fieret aurea, plurimi phylosophi ad eum venerunt, de quibus vnus dixit: „Allexander ex auro fecit thezaurum, et nunc e conuerso de eo aurum fit thezaurus.“ Alius dixit: „Heri non sufficiebat Allexandro mundus, hodie sufficiunt ei vlne due vel tres.“ Alius dixit: „Heri Allexander populo imperabat, hodie populus imperat illi.“ Alius dixit: „Heri Allexander potuit multos a

[1] *Hs. hier nochmals* eum.

morte liberare, hodie ipse non potest (*Bl.* 26*v.*) iacula mortis vitare." Alius dixit: „Heri Allexander premebat terram, hodie ipse premitur ab ea." Alius dixit: „Omnes heri Allexandrum timebant, hodie vilem eum deputant." Alius dixit: „Heri Allexander amicos habuit, hodie nullum." Alius dixit: „Heri Allexander ducebat exercitus, hodie ab illis ducitur ad sepulcrum."

Cap. 67 (*Bl.* 26*r.*).

De statua et ymagine et medicina nostra.

Legitur in hystoria scolastica, quod in Ierusalem est quedam columpna enea, in cuius summitate sculpta est ymago saluatoris habens fimbrias ad modum Iudeorum, et ad pedem columpne quedam herba nascitur, que in altum se extendit, in tantum quod ymaginem eneam tangit. Cuius fimbrias cum tetigerit, ad cuiuslibet morbi valet medicinam.

Cap. 68 (*Bl.* 27*r.*).

De corporibus venenosis et fulmine reuocatis.

Refert Seneca, quod in corporibus venenosis propter maliciam veneni et nimiam frigiditatem nullus vermis nascitur[1]; sed[2] si percussa[3] fuerint fulmine[4], post paucos dies vermes[5] producunt.

Cap. 69 (*Bl* 27*r.*).

De arbore et vxoribus suspensis.

Refert Valerius, quod Patinus flens dixit vicino suo: „Habeo arborem infelicem in orto meo, in qua vxor mea prima se suspendit: postmodum secunda: eciam nunc tercia. Et ideo dolor est intollerabilis." Ait vicinus, cui nomen Arrus: „Miror te in tantis successibus lacrimas emisisse. Da michi, rogo te, tres surculos illius arboris, quia intendo inter vicinos diuidere, vt quilibet arborem habeat ad vxorem suam suspendendam!" Et sic factum est.

[1] *dahinter Hs. und A* in ea, *B* in eis. [2] *Hs.* si, *AB* sed. [3] *Hs. danach ein unverständliches Zeichen.* [4] *B* flumine. [5] *so Oesterleys Text*; *Hs. und AB* fructum.

Cap. 70 (*Bl.* 27 *v.*).

De puella ceca et manca.

Erat quidam imperator, qui vnam puellam puleram in filiam habebat, que semper habebat caput erectum ad celum et tamen ceca erat vtroque occulo et manca vtraque manu.

Cap. 71 (*Bl.* 27 *v.*).

De Diogene et Allexandro.

Refert Saturnus[1], quod Dyogenes ita erat in paupertate[2], quod dolium habuit pro domo, cuius ostium ad solem semper dirigebatur. Ad quem in sole existente cum rex Allexander accessisset ad eum et dixit ei, quod[3] peteret ab eo, quidquid ei placeret. At ille: „Vellem pre ceteris, vt non stares inter me et solem!" Et sic Allexander, qui omnes naciones vicit, ab isto paupere victus est.

Cap. 72 (*Bl.* 27 *v.*).

De sacrificio.

Refert Valerius libro tercio, quod puer nobilis Allexandro sacrificanti[4] assistens arrepto thuribulo carbo ardens in brachium dilapsus est, et licet vreretur, ita quod odor ad circumstantes venisset, brachium tamen inmobile tenuit, ne sacrificium impediret. Allexander vero eum cremari permisit sic volens puerum experiri.

Cap. 73 (*Bl.* 28 *r.*).

De arbore infecta.

Sicut dicit Plinius, quod est quedam arbor in Iudea, cuius flores, fructus dulcem habent odorem, et iuxta arborem manebat quidam serpens, qui vocabatur iaculus. Hic[5] odorem arboris[6] multum odiuit et ideo, vt flores et fructus arboris destrueret, ad radicem arboris veniens eam intoxicauit. Quod videns ortulanus illius patrie tyriacas accepit et in quadam

[1] *A* Sarturnus. [2] *AB danach* positus. [3] *B* quid. [4] *B* sacrificauit. [5] *B schiebt* ut *ein.* [6] *in B ist der Schreiber auf das folgende* arboris *übergesprungen.*

virga summitati illius arboris infudit[1], que cito venenum expulit a radice infecta et arborem sterilem factam fructificare fecit.

Cap. 74 (*Bl.* 28*r.*).

De homine diuiso.

Quidam puer est natus ab umblico[2] et sursum in duo diuisus, ita quod haberet duo pectora et quodlibet proprios sensus, ita quod vno[3] edente vel dormiente alter non commedebat nec dormiebat. Postquam per duos annos vixisset, mortuus est, altero interim die superviuente.

Cap. 75 (*Bl.* 28*v.*).

De ciconia adulterata.[4]

Erat quidam imperator, qui habebat ante portam palacii fontem clarum: et iuxta fontem due cyconie nidificabant, sic quod femella pullos produxit, masculus illo tempore per campos volabat cibum pro femella et pullis colligendo. Ipso absente femella adulterata est, et ne fetorem masculus in aduentu sentiret, femella ad fontem descendit et se lauit. Imperator hec percipiens semel, cum femella fuisset adulterata, fontem claudi fecerat. Quem cum femella clausum inuenisset, ad nidum rediit. Cito masculus rediit et cum fetorem adulterii sensisset, auolauit[5]. Deinde infra tempus breue multitudinem cyconiarum secum duxit, et ab illis femella est occisa. De quo facto admirabatur imperator.

Cap. 76 (*Bl.* 28*v.*).

De septem sapienciis Aristotilis.

Regnauit Allexander, qui Aristotilem in magistrum habebat. Vnde semel ab eo quesiuit sapienciam, per quam posset prudens esse. Ait magister: „Fili, ausculta diligenter! Et si meam doctrinam tenueris, ad magnum honorem peruenies. VII sunt, que te docebo[6]; et hoc idem recitat Ieronymus

[1] *A* infundit. [2] *AB* umbilico. [3] *B* una. [4] *Hs. dazu eine Überschrift von fremder Hand in ganz anderer Schrift:* Ciconia mos (*l.* mas) faemineam in adulterio deprehensam occidit. [5] *B nur:* Quem cum sensisset, auolauit. [6] *B* decelo.

libro III°. Primum est, stateram ne transsileas! Ignem gladio ne foueas! Coronam ne carpeas! Cor auicule non commedas! Cum profectus fueris, non redeas! Per viam publicam ne ambules! Hyrundinem[1] garrulantem non in domo sustineas[2].

Cap. 77 (*Bl.* 29*v.*).

De quatuor questionibus[3].

Legitur, quod (*Bl.* 30*r.*) quidam rex quesiuit IV questiones de condicione hominis a quodam phylosopho. Prima questio erat: „Quid est homo?“ Secunda: „Cui similis est homo?“ Tercia: „Vbi est homo?“ Quarta: „Cum quibus sociis est homo?“ Respondit phylosophus ad primam questionem, quando quesiuit: „Quid est homo?“: „Mancipium mortis, hospes loci, viator transiens. Mancipium mortis dicitur, quia mortis manum euadere non potest, quia mors omnes labores eius et dies rapit, et, secundum quod meruit, habebit premium vel supplicium. Item homo est hospes loci, quia cito obliuioni

[1] *B* hyrundinis. [2] *in der Reductio finden sich als Beispiele drei kleine Geschichten eingestreut, die hier ihren Platz finden mögen. Die erste derselben ist in der Hs. mit* nota *bezeichnet, in A mit* notabilis, *in B mit* gestum; *die beiden anderen sind gar nicht bezeichnet.*

Legitur de vulture, que cum ceperit predam suam, probat, an totam predam suam possit secum portare et cum ea volare annon. Si non potest portare (et *bis* portare *fehlt in B*), tunc diuidit et tantum secum portat, quod possit libere cum ea volare. Et sic habet de preda, quod sibi sufficit, nec propter hoc a uolatu impeditur.

Vipera volens copulari cum lampreda non potest, dum (*B* quia) habet secum venenum, quia lampreda fugit venenum. Tunc vipera in quodam loco venenum euomit et sic copulatur ei et post rebibit (*A* redibit) venenum.

Legitur in gestis Romanorum, quod talis erat consuetudo, quod cum formari deberet pax inter aliquos magnos (inter aliquos magnos *fehlt in B*), inter quos erat magna discordia, ascendebant (*B* ascendebat) montem magnum et altum, et ducebatur agnus et occidebatur, et in conspectu eorum sanguis effundebatur in pacis reformacione, in signum, quod quicumque illorum pacem dissiparet, maxima de eo vindicta reciperetur, et sanguis (*Bl.* 29*v.*) eius effunderetur.

[3] *diese Erzählung, die in B als Reductio bezeichnet ist, beginnt mit einer Bemerkung nebst einem Citat über das Elend des Menschen; diese ist hier fortgelassen.*

traditur. Item est viator transiens, [quia][1] siue dormiendo vel vigilando, commedendo vel aliud faciendo semper ad mortem currit. Et ideo debemus per uiam nobis prouidere de cibo, scilicet de operibus misericordie." Secunda questio: „Cui est similis homo?" Respondit phylosophus: „Glacici, que per calorem cito soluitur; sic homo de terra et elementis compaginatus per calorem[2] infirmitatis cito soluitur et corrumpitur. Item similis est rose mane, que per calorem dissoluitur. Item pomo nouo, quia sicut pomum novum pendens in arbore ad incrementum debitum perueniet, modico tamen verme interius exorto corroditur et subito corruens invtile[3] efficitur, sic homo in puericia sua crescens, subito oritur infirmitas interius, et corrumpitur." Tercia questio[4]: „Vbi est homo?" Respondit: „In bello multiplici, scilicet contra dyabolum, mundum[5], carnem." Quarta questio: „Cum quibus sociis est homo?" Respondit: „Cum VII sociis, qui eum assidue molestant[6], fames, sitis, calor, frigus, lassitudo, infirmitas et mors[7]."

Cap. 78 (*Bl.* 30*v*.).

De aquila et serpente.

Refert Plinius, quod aquila in altum volat et nidificat, cuius pullis insidiatur serpens quidam, qui vocatur perias. Qui

---

[1] *nach Oesterleys Texte.* [2] *in B fehlt* sic *bis* calorem. [3] *B* inutilis. [4] *A schiebt* est *ein.* [5] *A schiebt* et *ein.* [6] *A schiebt* scilicet *ein.* [7] *in der zu dieser Erzählung gehörenden — übrigens nicht mit einer besonderen Überschrift bezeichneten — Reductio finden sich die folgenden beiden Erzählungen:*

Perdix habens pullos sciens venatorem nido appropinquare, vt venatorem retrahat (*B* inde trahat) a pullis, venit prope venatorem et fingit se non posse volare. Quod venator estimans verum esse insequitur, que paulatim volat, et ipse post illam vadit sperans illam capere, et sic (*Bl.* 30*v*.) semper, donec sit elongatus a pullis. Et sic decipitur venator, quod nec perdicem nec pullos habet.

Refert Solinus de mirabilibus mundi, quod Allexander habuit quendam eqvum, qui vocabatur Buccefalus, cuius erat consuetudo, quod, quando erat armatus et paratus ad bellum, nullum sessorem retinebat nisi solum Allexandrum. Sed si quis alius eum ascendit, statim eum deiecit. Quando vero non erat armatus, garciones super eum ascendere permisit.

videns se non posse ad pullos appropinquare propter altitudinem trahit ad se ventum et venenum emittit, vt aer infectus per ventum ad pullos deductus illos occidat[1]. Sed aquila instinctu naturali mirabilem adhibet cautelam. Portat enim lapidem, qui vocatur achates, et ponit in nido in illa parte, que est contra ventum. Et iste lapis virtute sua venenum expellit, ne ad pullos accedat, et sic saluantur pulli, ne interficiantur.

Cap. 79 (*Bl.* 31*r.*).

De tirranno et ciuibus.

Legitur in gestis Romanorum, quod erat quidam tyrannus, qui omnes ciues nobiles exheredidare fecit. Ciues hec percipientes ad Constantinum, regem in Brittania, accesserunt et honorifice ab eo sunt recepti. Denique cum multi tales ad ipsum confluerent, incitauerunt ipsum supra modum aduersus predictum tyrannum dicentes: „Quidquid[2] moraris, Constantine? Adiuua nos! Tu es de nostra generacione[3].“ Motus Constantinus ex uerbis eorum armauit se et collegit exercitum et tyrannum prostrauit et heredibus hereditatem restituit.

Cap. 80 (*Bl.* 31*r.*).

De ammonicione mortis.

Legitur in cronicis, quod populus romanus solidam columnam marmoream in foro statuit et ibi statuam Iulii Cesaris fecit et nomen scripserunt ante statuam eius in foro. Precedenti die obitus sui fenestre thalami eius cum tanto strepitu aperte sunt, vt Cesar domum ruituram existimaret. Eodem die mortis sue cum ad capitolium iret, date sunt ei littere indices[4] mortis sue imminentis[5], quas si statim legisset, mortem euasisset. Sed cum[6] mortuus esset, inuente sunt in manu eius adhuc clause. Occisus est autem Cesar in capitolio, in summitate, in templo.

Cap. 81 (*Bl.* 31*v.*).

Ammonicio [columbe].

Legitur, quod tempore Hainrici imperatoris tercii cum

[1] *B* occidit. [2] *alle drei Hss.* vt quid. [3] *A* conuersacione et generacione. [4] *Hs.* iudices, *AB* indices. [5] *B* imminentes. [6] *in B fehlt* cum *bis* adhuc.

quedam ciuitas fuisset obsessa ab inimicis suis, antequam venissent inimici ad ciuitatem, quedam columba in ciuitatem descendit, circa cuius collum inuente sunt littere, quas columba deferebat, talis sentencie: „Audi, rex, gens canina venit, gens contenciosa, contra quos per te et per alios legem tuam defendas!“

Cap. 82 (*Bl.* 32*r.*).

De ymagine et pomo.

Refert Allexander de naturis rerum, quod Virgilius in ciuitate romana nobile palacium construxit. In cuius medio stetit quedam ymago, que dea Romanorum vocabatur et tenebat pomum aureum in manu sua, et per[1] circuitum palacii ymago cuiuslibet regionis ligneam campanam manu tenens[2]. Quociens vero aliqua regio magestati romani imperii insidias mouer eausa est, in continenti eius ymago campanam pulsabat[3], et continuo miles exiens equo eneo insidens in summitate predicti palacii hastam vibrabat et regionem illam respiciebat. Statim ciuitas illa romana armabat se, vt regionem illam domaret[4].

Cap. 83 (*Bl.* 32*v.*).

De pisce et lapide.

Refert Ambrosius, quod est quidam piscis in mari, qui vocatur ethnus et est talis nature, quod cum procellas ventorum perspicit et calculum validum arripuerit, secum tamquam anchoram trahit, ne excuciatur a fluctibus, ita quod suis viribus se non regit[5], sed alieno pondere stabiliter regitur.

Cap. 84 (*Bl.* 32*v.*).

De [muliere] adulterata et austeritate patris et misericordia filii.

Erat quidam imperator, qui statuit pro lege, quod, si mulier deprehensa in adulterio sub viro suo esset, vir eius vel filius, si haberet, interficeret eam[6]. Accidit, quod quidam miles vxorem pulchram habebat. Ad bellum accessit, dextrum

[1] *B* et circuitu. [2] *alle drei Hss.* tenentem. [3] *alle drei Hss.* pulsaret. [4] *A dahinter* sequitur. [5] *hier schliesst B.* [6] *B* eam occideret. *Ausserdem fehlt* vir *bis* haberet.

brachium in bello ammisit. Ipso absente vxor est adulterata. Quod cum maritus audisset, contristatus est valde. Ait filio suo: „Fili mi, per legem mater tua morietur. Dextrum[1] meum brachium in bello ammisi, non possum eam occidere. Ideo volo, ut tu legi obedias et eam occidas.“ Ait filius: „Licet lex hoc, pater, precipiat, tamen alibi secundum legem habetur: Honora patrem et matrem[2]. Si ergo[3] occiderem eam, contra legem perpetrarem, quia mater mea est. Absit ergo a me, vt tale piaculum[4] committam!“ Et sic mulier est a morte saluata[5].

Cap. 85 (*Bl.* 33*r*.).

De duobus filiis diuidentibus substanciam.

Refert Seneca de quodam diuite, qui habebat duos filios, vnum de legittima, alium de ancilla. Voluit ipse, quod legitimus cum illegittimo hereditatem participaret, quia lex talis erat, quod senior filius diuideret et iunior eligeret post obitum patris. Senior vero frater sic diuisit. Posuit ex vna parte totum patrimonium, ex altera parte pauperem matrem. Dixit iuniori, vt eligeret. Elegit ipse pauperem matrem, et senior totum patrimonium optinuit. Iunior vero est conquestus, quod frater suus male diuisisset, adiit iudicem allegans legem. Dicens senior: „Ipse elegit, ego[6] diuisi: in opcione sua erat eligere. Eligenti non fit iniuria[7].“

Cap. 86 (*Bl.* 33*r*.).

De fratribus discordantibus.

Legitur in gestis Romanorum, quod inter duos fratres erat tanta discordia, quod vnus fere omnes terras alterius destruxit. Audiens hoc imperator Iulius grauiter concepit contra fratrem persecutorem[8]. Ille vero offensam imperatoris percipiens venit ad fratrem suum, cui tot mala intulerat, petens misericordiam ab eo, rogans insuper, quatenus inter ipsum et imperatorem pacem reformaret. Circumstantes dixerunt eum pacem non[9] meruisse sed penam. Quibus ille respondit frater, a quo pax

[1] *B schiebt* manum *ein*. [2] *AB* etc. [3] *fehlt in B*. [4] *B* periculum. [5] *A* et sic saluata est. [6] *in B fehlt* ego. [7] *B* etc. [8] *B* incepit contra fratrem persecutorem eum offendere. [9] *in B fehlt* pacem non.

postulabatur: „Non est, inquit, diligendus princeps, qui in bello est mitis vt agnus, in pace ferus[1] vt homo. Licet igitur hoc non promeretur erga me frater meus, tamen eum reconciliabo, si potero, quia iniuria, quam michi intulit, satis vindicta est in illo, cum misericordiam implorat.“ Et sic inter imperatorem offensum et ipsum fratrem suum pacem reformauit.

Cap. 87 (*Bl.* 33*v.*).

De probacione dilectionis in muliere.

Legitur, vt dicit Macrobius, quod erat quidam miles, qui habuit vxorem suam suspectam, quod plus alium diligeret quam ipsum. Sepius ab vxore sua quesiuit, si verum esset, quod in corde conceperit. Illa simpliciter negauit, quod nullum alium tantum sicut illum diligeret. Miles vero dictis eius non credidit: adiit quendam clericum peritum et conuenit cum eo, ut de hac re veritatem ei ostenderet. Qui ait: „Hoc non possum, nisi dominam videam.“ Qui ait ei: „Rogo te, vt hodie mecum commedas, et ego te collocabo[2] ad vxorem meam in mensam[3], vt eius noticiam habeas.“ Clericus concessit et ad domum militis venit. Iuxta dominam est collocatus. Finito prandio clericus cepit cum domina priuata colloquia habere de diuersis negociis. Hoc facto tenens manum eius pulsum suum tetigit. Deinde fecit sermonem de illo, de quo erat scandalizata, et statim pre magno gaudio pulsus incepit velociter moueri et calefieri, quamdiu de eo erat sermo. Clericus cum hoc percepisset, incepit sermonem de uiro suo proferre. Statim cessauit pulsus ab omni motu et a calore. Ex hoc percepit clericus, quod plus dilexit alium, de quo scandalizata erat, quam proprium maritum. Et sic miles per clericum ad rei veritatem deuenit.

Cap. 88 (*Bl.* 33*v.*).

De statua et thesa[u]ro.

Legitur in gestis, quod tempore Hainrici imperatoris erat quedam statua marmorea circa caput suum habens circulum

[1] *B* verus. [2] *A* allocabo. [3] *AB* mensa.

aureum, in quo erat scriptum: „Kalendas maii sole oriente caput aureum habebo.“ Quod quidam Sarracenus videns captus[1], quid pretenderet, intelligens, kalendas magii sole oriente in termino (*Bl.* 34*r.*) vmbre illius statue repperit[2] infinitum thezaurum et sic habuit caput aureum. Quia, vbi vmbra capitis sui stetit, fecit fieri foueam, ibi thezaurus auri inuentus est, quem accipiens Sarracenus dedit pro redempcione sua.

Cap. 89 (*Bl.* 34*r.*).

[De Cosdra.]

Cosdras imperator, rex Atteniensium, contra Dorenses pugnaturus cum congregaret exercitum, super euentum belli consuluit Appollonium. Cui responsum est, quod aliter non vinceret ipse, nisi ipse gladio hostili interiret. Dorenses vero hoc audito dixerunt, ne quis lederet[3] corpus Cosdri regis. Quod postquam Codrus[4] agnouit, mutato regis habitu arma accepit et exercitum penetrauit. Quod videns vnus militum eum cum lancea vsque ad cor penetrauit. Et sic per mortem suam populum suum de manu inimicorum suorum liberauit.

Cap. 90 (*Bl.* 34*r.*).

De filia pulcra et mammilla et medicis.

Refert Seneca, quod quedam mulier pulcra, filia regis, delicate nutrita passa erat in mamilla, que requisiuit medicos[5], qui eam sanarent. Medici respon-(*Bl.* 34*v.*)derunt, quod curari non posset[6], nisi mamilla per ferrum penetraretur, et sic mediante ferro morbus educeretur. At illa[7]: „Tenere, inquit, nutrita sum; malo[8] mori tenere quam cum tali pena viuere.“ Ait medicus: „Tu tenere nutrita es; spongia maris tenerior est. Permitte, vt te spongia tangam et sic morbum educam!“ Ipsa concessit et curata est.

Cap. 91 (*Bl.* 34*v.*).

De puero et delfino.

Refert Valerius, quod erat quidam puer V annorum, qui singulis diebus ad litus maris perrexit. Quod videns

[1] *Hs. und A* captans. [2] *alle drei Hss.* repperi. [3] *alle drei Hss.* lederetur nisi. *Oesterleys Text wie oben.* [4] *A* Cosdrus, *B* Cosdras. [5] *alle drei Hss.* requisitis medicis. [6] *B* possit. [7] *fehlt in AB.* [8] *B* mala.

quidam delphinus incepit cum puero ludere et ipsum super dorsum portare. Puer vero singulis diebus panem ad delphinum portabat et sic delphynum per V vel IV annos sustentabat. Accidit vno die, quod puer ad litus maris perrexit portans secum panem, vt solitus erat. Delphynus non venit. Interim mare puerum circumvallabat, et puer submersus est. Cum mare se traxit, delphynus venit, et cum puerum mortuum inuenisset, pre nimio dolore iuxta puerum cecidit et mortuus est.

Cap. 92 (*Bl.* 34*v.*).

De quatuor litteris ter scriptis.

Refert Valerius, quod in Roma vidit in vna columpna IV litteras, quarum quelibet ter scribebatur: videlicet III P P P, III S S S, III R R R, III F F F. Visis litteris dixit: „Confusionem video: Pater patrie perditur, sapiencia secum sustollitur, ruunt regna Rome ferro, flamma, fame.“

Cap. 93 (*Bl.* 35*r.*).

De ponte et feris.

Erat quidam homo, qui semel debebat transire de vno regno ad aliud. Venit ad quendam pontem, per quem transire debebat. Ante eum vidit leonem ferocissimum, ex alia parte dextra vidit draconem, ex parte sinistra mare. Cum autem ista tria vidisset, non audebat vlterius procedere, incepit reuerti domum. Et ecce angelus domini contra eum stabat habensque gladium et coronam in manu sua [dicens]:

Sperne, resiste, tere! Sertum dabo, siue ferire.
Sors maris, ira fere, dolus anguis sag[i]unt[1] miserere.

Statim homo cum angelum vidisset et hoc audisset, omnia pericula euasit, quia leonem et draconem occidit et coronam ab angelo optinuit.

Cap. 94 (*Bl.* 35*r.*).

De fontibus quibusdam.

Dixit Ysidorus libro Ethicorum, quod in Sicilia sunt duo fontes, quorum vnus sterile[m] fecundat, alter fecundam sterilem facit.

[1] *die Besserung nach Oesterleys Texte.*

Cap. 95 (*Bl.* 35*v.*).

De hominibus diuersarum formarum.

De hominibus iam est loquendum, vnde dicit Plinius et Augustinus, quod aliqui homines canina capita habentes cum latratu locuntur. In Indya sunt aliqui homines, qui vnum oculum habent in fronte super nasum[1]. Hii carnes animalium commedunt. In Lybia sunt alique femine sine capite os et oculos habentes in pectore. (*Bl.* 36*r.*) In oriente contra paradysum sunt homines nichil commedentes, quia os tam modicum habent, vt calamo potum sumant; odore pomorum et florum viuunt. Odore malo subito moriuntur. Item ibidem sunt homines sine naso, facie plena[2]. Item homines habentes labium inferius ita magnum, vt totam faciem contegant dormientes. Item alii sunt linguis muti loquentes vt monachi. Item in Stichia sunt homines aure tam magna, vt contegant totum corpus. Item aliqui sunt proni ambulantes vt pecora. Item aliqui homines cornuti, naso[3] breui, pedibus caprinis. Item in Ethyopia homines vno pede latissimo tam veloces, vt bestias insequuntur[4]. In Indya pigmei duorum cubitorum equitantes super yrcos et cum gruibus preliantes. Ibidem femine quinquennies concipiunt et octo annis tantum viuunt. Item in India sunt aliqui homines VI manus habentes[5] et homines nudi et pilosi in flumine morantes. Item homines in manibus et in pedibus VI digitos habentes. (*Bl.* 36*r.*) Item mulieres cum barbis vsque ad pectus sed capite plano. Item in Ethyopia IV oculos habentes[6]. In Eripia sunt homines formosi sed capite et collo grvino cum rostris.

Cap. 96 (*Bl.* 36*v.*).

De serpente, qui occidit descendentes in aquam.

Regulus consul bellum contra Cartaginenses sortitus iuxta quoddam flumen castra constituit, vbi serpens maximus multos ad aquam descendentes occidit. Totus igitur exercitus ad expugnandam illam crudelem bestiam profectus est. Sed horrenda squamarum crates telis et iaculis residebat; vix tandem multis occisis est victus et saxis ac telis oppressus.

[1] *fehlt in B.* [2] *AB* plana. [3] *B* vaso. [4] *Hs. und AB* insequntur. [5] *fehlt in B.* [6] *B* habentes occulos.

Cuius corium CXX pedum a Romanis ductum cunctis admiracionem intulit et terrorem.

Cap. 97 (*Bl.* 36*v.*).

Rome patuerunt hyancia infera.

In medio Rome in quodam loco aperta est terra semel, et hyancia infera patuerunt. Super hoc dii sunt interrogati. Responderunt: „Non claudetur hec vorago, nisi aliquis voluntarie se inmergat.“ Sed cum nemini persuaderi posset, dixit Marcus Anilius: „Si per annum in Roma pro libitu meo me viuere sinitis[1], anno elapso gaudenter et voluntarie me inmergam.“ Romani concorditer consencientes nichil sibi clauserunt. Qui rebus et vxoribus libere vtens anno elapso cum nobili equo saltu precipiti se inmersit, et statim terra se[2] clausit.

Cap. 98 (*Bl.* 37*r.*).

De eo, qui uas ductile vitreum obtulit.

Tyberius regnauit, qui [ante][3] sumptum imperium prudens ingenio, clarus eloquio, fortunatus in bello fuit, sed postea resolutis[4] milicie artibus nulla bella gerens populum romanum grauiter afflixit, filios proprios pluresque patricinos et consules interfecit. Temperanciam abiecit sic, vt qui antea Nero Tyberius, nunc Mero Bibero vocabatur. Huic quidam artifex vas vitreum ductile seu fabricabile optulit, quod Tyberius ad parietem proiciens, non fractum sustulit sed curuatum. Igitur artifex malleum proferens et vitrum velud cuprum fabricans mox correxit[5]. Interrogauit autem eum, quomodo hoc posset esse. Ille dixit neminem hanc artem scire super terram[6]. Quem Tyberius mox decollari iussit dicens: „Si hec ars venerit in consuetudinem, pro nichilo reputabitur aurum vel argentum.“

Cap. 99 (*Bl.* 37*r.*).

De gigante et vulnere suo.

Rome inuentum est corpus gygantis incorruptum alcius muro ciuitatis cum istis versibus videlicet:

[1] *B* volueritis. [2] *AB* se terra. [3] *in der Hs. Rasur;* ante *nach Oesterleys Texte.* [4] *B* resolutus. [5] *B* eum. [6] *B fügt* vidi *hinzu.*

Filius Euandri, Pallas quem[1] lancea curui
Militis occidit, morte sua iacet.

Lucerna ardens erat ad caput eius, que nec liquore nec flatu extingui potuit, donec subter flammam foramine facto cum acu aer fuisset inmissus. Vulnus autem gygantis IV pedum erat et dimidii[2], qui post euersionem Troye occisus iacuerat ibi per annos MMCCXL[3].

Cap. 100 (*Bl.* 37*v.*).

De imperatore et milite pro eo pugnante.

Qvidam imperator erat in quodam bello mortali; expositus fuit morti, quam non potuit euadere. Quod percipiens quidam miles strennuus interposuit se, scilicet inter inperatorem et hostes suos, ita quod imperator euasit sine lesione. Miles autem pro eo vulnera diuersa recepit, a quibus infra tempus curatus est cum magna difficultate, quia omnes medici fere de vita eius desperabant. Accidit postea, quod iste miles debuit hereditatem suam ammittere, tamen iniuste. Accessit ad imperatorem prefatum et rogauit pro eo, vt iudicaret pro eo. Noluit, sed dedit ei iudicem, qui audiret causam eius. At ille miles hec inpacienter sustinens statim coram omnibus pannos suos dilacerauit vsque ad nudam carnem et ostendit ei cicatrices vulnerum et ait: „Ecce, ista sustinui pro[4] te, et tu nichil vis sustinere pro me. Estne, inquit, iustum, postquam tantum sustinui pro te, vt alius quam tu ipse sis in causa mea iudex et aduocatus pro me?“ Ille hec[5] audiens ait: „Karissime, verum dicis. Quando in periculo mortis fui, tu ipse me saluasti et non alius.“ Statim pro tribunali sedebat et iudicium pro eo dedit.

Cap. 101 (*Bl.* 37*v.*).

De filia regis et nutrice.

Erat quidam imperator, qui habuit vnicam filiam caram, cui edificauit vnum palacium pulcrum, in quo manebat, adiungens ei vnam pedisequam siue nutricem. Nutrix vero semper in palacio cum filia regis manebat; habebat tamen nuncios, qui discurrentes, quitquit foris agebatur, dominabus referebant quantocumque occulta, propter que filia regis cum nutrice sepius tam regi quam aliis displicebat.

[1] *alle drei Hss.* quam, *Oesterleys Text* quem. [2] *A* dimidium. [3] *B* 1000, 200 et 40. [4] *AB* propter. [5] *B* hic.

Cap. 102 (*Bl.* 38*r.*).

De heremitis et virtutibus eorum.

Legitur in vita patrum, quod IV erant heremite in vna domo bone vite. Quadam vice ceperunt inter sancta verba requirere, quod quilibet diceret suam virtutem. Vnus dicebat, quod esset multum humilis, quod sibi videretur. Secundus dicebat, quod esset paciens. Tercius dicebat, quod libenter audiret de deo loqui. Quartus dicebat, quod libenter oraret. Isti IV concorditer orauerunt, vt deus eis manifestaret, quis eorum esset accepcior. Audierunt vocem dicentem: „Primus ex uobis me capit, secundus me tenet, tercius me ligat, quartus me deportat.“ Et sic quilibet tenebat se in suo gradu.

Cap. 103 (*Bl.* 38*r.*).

De regina, que III filios ex adulterio et IV^m^ de semine regis pepererit.

Qvidam rex nobilis, sapiens atque diues vxorem habuit predilectam, que debite dilecc̃ionis immemor tres filios aput eum genuit, qui semper erant patri rebelles et in nullo ei similes. Deinde de regis semine quartum filium concepit, peperit et nutriuit. Accidit autem, vt rex finito dierum suorum curriculo moreretur corpusque suum in regali sarcophago clauderetur. Post cuius exequias IV filii supradicti pro regni dominio[1] litigauerunt. Miles quidam veteranus, mortui regis quondam[2] secretarius specialis, regni primatibus sic dicebat: „Audite consilium meum! Expedit vobis, ut corpus defuncti regis de sarcophago tollatis; et quilibet arcum cum sagitta paratum habeat, et quicunque profundius corpus sagittauerit, regnum suum habebit.“ Placuit eis consilium. Patrem suum de loco effoderunt et ad arborem ligauerunt. Primus sagittam iaciens[3] manum dextram patris sui vulnerauit. Qua de re tanquam heres vnicus et regni dominus gloriatur. Secundus vero torquens sagittam propius sagittam in os letanter quodammodo sagittabat. Vnde sibi regnum cercius ascribebat. Tercius autem cor eius sagitta perforauit, qui (*Bl.* 38*v.*) se pro suis fratribus regnum putabat sine lite certissime possessurum. Quartus vero cum accederet ad corpus, ingemuit et voce la-

[1] *B* pro regno domini. [2] *Hs.* quodam, *AB* quondam. [3] *B* iacens.

mentabili sic dicebat: „Absit a me, vt ego corpus patris mei viuum aut mortuum vnquam ledam!“ Hiis dictis regni principes simulque populus vniuersus eundem iuuenem eleuantes tamquam verum heredem et regni dominum imperatoris solio locauerunt, et alii III omni dignitate erant priuati.

Cap. 104 (*Bl.* 38*v.*)[1].

De fure et hospite cum vxore vigilante.

Quidam fur ad domum cuiusdam diuitis noctu venit et ascendens tectum per foramen[2] auscultare cepit, si adhuc aliquis de familia diuitis vigilaret. Quod hospes considerans suauiter vxori dixit: „Interroga me alta voce, qualiter hec bona acquisierim, que habemus, nec a proposito[3] desistas, donec finaliter tibi dicam!“ Tunc ait mulier: „O bone domine, cum nunquam mercator fueris, dic michi, qualiter tantam peccuniam, quam nunc possides, congregasti!“ Cui ille: „Noli stulte querere de me! Permittas me quiescere!“ Illa autem magis ac magis querere non cessauit. Tunc vir quasi coactus suis precibus ait: „Noli prodere, que tibi dico! Fur eram et nocturnis furtis, que nunc habeo, congregaui.“ Cui mulier: „Miror igitur[4], quod nunquam fueras deprehensus.“ Cui ille: „Quia magister meus quoddam verbum me docuit, quod sepcies dicebam, quando tecta hominum ascendebam: et tunc per aliquam fenestram in domum amplexando lune radium descendebam et acceptis rebus michi placitis iterum per eundem radium ascendebam.“ Ait mulier: „Rogo, domine, dic michi illud verbum, cuius virtute sine periculo tociens furabaris!“ At ille: „Tibi dicam, sed alteri non dicas! Ecce verba: (*Bl.* 39*r.*) Saxlem Saxlem.“ Hiis dictis mulier protinus obdormiuit. Vir autem finxit[5] se dormire, sternutabat. Tunc vir[6] gauisus, scilicet fur. Sumpto lune radio et sepcies dicto carmine laxatis manibus et pedibus per fenestram in domum cecidit et magnum sonitum faciebat fractoque crure et brachio iacuit semiuiuus. Dum autem hospes quereret quasi nescius[7], qualiter cecidisset, at ille: „Me verba fallacia deceperunt.“ Vnde versus:

Fallax hunc ledit, qui verbis eius obedit;
Sed qui non credit sibi, tutus ille recedit.

[1] *diese Erzählung fehlt in A.* [2] *B* foratum. [3] *Hs.* approposito. [4] *B* ergo. [5] *B* fixit. [6] *B* fur. [7] *B* nesciens.

Cap. 105 (*Bl.* 39*r.*).

De milite, [qui] semiambulans, semiequitans venit ad regem.

Qvidam miles quendam regem, a quo infeodatus erat, grauiter offendit. Misit ad eum milites, vt pro eo intercederent. Vix eius amiciciam sub hoc pacto optinuit, scilicet quod ad curiam eius pedes et eques pariter, id est semiambulans et semiequitans veniret, et quod secum duceret fidelissimum amicum et ioculatorem et inimicum perfidissimum. Qua de re miles contristatus cogitare cepit, quomodo hoc adimplere posset. Quadam vero nocte cum peregrinum quendam hospicio recepisset, clam dixit vxori sue: „Scio, quia peregrini promptam pecuniam sunt secum portantes. Volo igitur, si tu suades, hunc peregrinum interficere: pecuniam eius optinebimus.“ At illa: „Bonum est consilium.“ Cunctisque dormientibus circa diluculum surgit miles, peregrinum excitans abire iubet; vnumque de suis vitulis in frusta[1] secuit ponensque ea in sacco. Deinde vxorem suam excitat dansque sibi saccum, vt in angulo domus absconderet, et dixit: „Tantum caput et crura cum brachiis in hoc sacco posui, truncum autem corporis in nostro stabulo sepeliui.“ Hiis dictis aliquantulam pecuniam ei ostendit, ac si illam peregrino mortuo abstulisset. Cum autem dies adesset, vt domino suo se presentaret, accipiens a dextris canem et puerum suum paruum in gremio et vxorem suam a sinistris simulque pulcrinum paruulum ire cepit. Cumque castro domini sui appropiaret, dextrum crus supra dorsum pulcrini sui velud equitans posuit in terris per alterum gradiendo, sicque pedester et equester castrum et (*Bl.* 39*v.*) curiam subintrauit. Quo viso princeps cum astantibus mirabatur. Ait ei princeps: „Vbi est amicus tuus fidelissimus?“ Qui statim gladium suum euaginans canem suum in conspectu omnium vulnerabat ad probandam vere fidei puritatem. Qui cum clamaret et fugeret pre dolore, ipsum denuo reuocauit; cumque claudicans et sangvinans[2] remearet, ait miles: „Ecce, domine, amicum fidelissimum duxi mecum!“ Cui ille: „Vbi est ioculator tuus?“ At ille paruulum filium suum ei ostendit dicens: „Ecce, domine! Non est ioculator in mundo, qui tantum sola-

[1] *AB* in frustra. [2] *Hs.* sagvinans, *AB* sanguinans.

cium michi conferat, sicut quando filium meum ante me ludere video.“ Dicit ei princeps: „Vbi est inimicus tuus?“ Qui statim alapam vxori sue dedit dicens: „Quare tu tam impudice dominum meum regem intueris?“ Illa statim respondit: „O maledicte homicida, quare me percutis? Nonne in domo tua propria lamentabile homicidium perpetrasti? Audite me, domine! Pro modica pecunia quendam pauperem peregrinum occidit.“ Quod miles audiens iterum alapam ei dedit dicens: „O maledicta, cur falsum crimen inpingere non formidas?“ Que statim liuoris et[1] iracundie facibus inflammata coram omnibus exclamauit: „Venite, et ostendam vobis locum, in quo occisi caput et crura et brachia sepeliuit, et stabulum, in quo truncum corporis sepeliuit[2].“ Hec illi audientes ad probandam rei veritatem ad hospicium militis perrexerunt. Precurrens autem mulier cellarium apperuit et locum[3] ostendit, in quo saccus cum vitulinis carnibus est defossus. Qui concito[4] effodientes visis carnibus stupuerunt astuciamque militis cognoscentes dignis ipsum laudibus extulerunt. Qui postea suo domino specialis dileccionis vinculo est annexus.

Cap. 106 (*Bl.* 40*r.*).

De duobus fratribus, clerico et laico.

Erant duo fratres carnales, vnus clericus et alter layeus, in quodam cenobio et ad habitum sunt recepti. Cum autem clericus tempus legendo, cantando, scribendo[5], dictando deducere consueuisset, quadam vice fratrem suum interrogauit, quomodo tempus deduceret, cum litteras ignoraret. Cui ille: „III litteras olim didici, quas cottidie voluo in corde et reuoluo; quarum prima nigra, II[a] rubea, tercia candida comprobatur[6].“ Qui dum inquireret illarum nomina, respondit: „Prima est recordacio peccatorum meorum, que tanquam nigra et grauis sarcina torquent et cruciant cottidie cor meum, siue recordacio tetre[7] caliginis in inferno. Secunda est recordacio rosei sanguinis mei creatoris, quem in cruce pro me misero

[1] *B* ea. [2] *in B fehlt* et stabulum *bis* sepeliuit. [3] apperuit et locum, *das in der Hs. am Rande steht, fehlt in AB.* [4] *B* tam cito. [5] *AB schieben* vel *ein.* [6] *B* comparabat. [7] *B* terre.

peccatore de V riuulis sanctissimi sui corporis fudit misericorditer et habunde. III[a] est desiderium celestium gaudiorum et eorum, qui secuntur in albis agnum dei, quocunque ierit.“ His auditis litteratus semper erubuit; sumens exemplum doctrine de tribus litteris fratris sui omnem suam scienciam quasi nichilum reputabat. Nullus igitur clericorum vitam aut mores despiciat simplicium laycorum. Nescit enim homo, vtrum odio vel amore dignus sit; nam[1] versus:

Quidquid agant homines, intencio iudicat omnes.

Vnde Ieronymus: „Vtile est, multa scire et recte viuere, quod si vtrumque non valemus, melius est, bene viuendi studium quam multa sciendi vt sequamur.“

Cap. 107 (*Bl.* 40*v.*).

De patre, qui a tribus filiis quesiuit, quid pro deo vellent colere.

Qvidam phylosophus narrat, quod sibi traditi erant III filii cuiusdam regis ad informandum. Quos cum bene instruxisset, pater eorum volens scire, quid libencius colerent pro deo suo, quesiuit a seniore, quid vellet habere pro deo suo. Consuetudo enim tunc temporis erat[2], quod homines eligerent, quid pro deo suo vellent habere. Filius respondit patri, quod libencius coleret pro deo suo Iupiter, et cum pater quereret causam, respondit filius dicens, quod Iubitor esset deus forcior et potencior. Cui pater: „Potencia, inquid, non facit vnum deum meliorem altero, quia potencia (*Bl.* 40*r.*) est sepius causa iniquitatis, nisi bene vtatur.“ Postea a secundo filio quesiuit, quem ipse vellet pro deo suo habere. Qui respondit, quod Iouem. Et cum causam quereret pater, filius respondit eum esse sapienciorem aliis diis. Pater respondit: „Fili[3], sapiencia non facit vnum deum meliorem altero, quia sepe sapiencia potest esse causa iniquitatis et elacionis.“ Deinde quesiuit a III° filio, quem ipse vellet colere pro deo suo. Qui respondit: „Mercurium.“ Et cum pater causam quesiuisset, dixit filius Mercurium esse pium et misericordem. Cui pater: „Vere, fili, pietas facit vnum deum meliorem altero, quia pietas nulli est nociua. Sed, karissime fili, si vnus esset potens et sapiens et pius, tunc ipse posset dici deus deorum.“ Statim fabricauerunt

---

[1] *A* vnde. [2] *fehlt in Hs. und A.* [3] *A* filio.

sibi ipsis vnam ymaginem ad similitudinem hominis habentis alas et ipsam ymaginem colebant pro deo suo. Et scribebant in vna ala: „Voco[1]“, in pectore: „Exspecto“ et in secunda ala[2]: „Remitto.“

Cap. 108 (*Bl.* 40*v.*).

De quinque personis.

Habetur in quodam libro de colloquio Petri ad Ihesum: „Vidi aliquando V viros, quos quidem[3] freneticos arbitrabar. Vidi vnum commedentem arenam maris ita auide, vt per vtramque partem oris exiuit. Alium vidi stantem super foueam sulphuream et pice plenam, de qua fetor intollerabilis exibat, qui toto nisu suo illum fetorem nitebatur capere in os suum. Tercium vidi in ardenti fornace iacentem, cui tantus calor sufficere non valebat, vnde nitebatur capere scintillas de fornace volantes. Quartum vidi, qui super pinnaculum templi sedebat, ut ventum caperet, et semper os apperuit, ut omnes satis aperte eum viderent. Quintum vidi, qui membra sua, manus et pedes et quidquid potuit in os suum capere, deuorabat et alios deridebat.“

Cap. 109 (*Bl.* 41*r.*).

De tribus laborantibus inaniter.

In vitas patrum narratur, quod angelus ostendit cuidam seni III homines laborantes triplici fatuitate. Primus fasciculum de lignis faciebat; et cum non posset portare, ei semper ligna adiungebat. Secundus aquam de puteo profundo cum multo labore hauriebat, et vas erat plenum de foraminibus, et tamen non cessabat inplere. Tercius trabem portans et volens domum intrare, et ostium erat paruum, quod intrare non poterat, et tamen equum cum calcaribus percussit, quousque cecidit.

Cap. 110 (*Bl.* 41*r.*).

De coruo et cinere.

Narrat phylosophus in libro de animalibus, quod si volueris facere, ut corvus, postquam nidificauerit in arbore, nunquam

---

[1] *B* voto. [2] *Hs.* aula, *AB* ala. [3] *alle drei Hss.* quidam.

ex ouis pullos producere possit, pone cineres vitri inter arborem et corticem, et quamdiu cineres ibi fuerint, numquam pullos[1] producet.

Cap. 111 (*Bl.* 41*r.*).

De septem arboribus.

Tvllius narrat, quod in mense mayo exiuit in quoddam nemus, in quo steterunt VII arbores plene foliis, decore aspectu, et tot frondes collegit, quod portare nequiuit. Venerunt III viri et ipsum extra nemus duxerunt. In exitu autem nemoris cecidit in foueam et submersus est pre magnitudine (*Bl.* 41*v.*) ponderis.

---

[1] *fehlt in A.*

Wegen des Schlusses vergleiche man die Bemerkung auf der Rückseite des Titels.

Vita.

Natus sum Guilelmus Dick Francofurtensis a. d. VIII. Id. Jul. h. s. LXVII, patre Josepho, matre Maria e gente Simon, quam adhuc superstitem esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus ad gymnasium reale Francofurtense „Musterschule“ transii. Maturitatis testimonio instructus autumno h. s. LXXXVI uniuersitatis Berolinensis philosophorum ordini adscriptus sum. Deinde vere ineunte Erlangensem adii uniuersitatem, tum Halensem, postremo iterum Erlangensem. Audiui autem lectiones virorum illustrissimorum et clarissimorum Aue, Class, Eheberg, Heym, Hoffory, Paulsen, Rabus, Schwan, Sievers, Steinmeyer, Suchier, Tobler, Treitschke, Varnhagen, Wagner, Zupitza. Per quinque semestria seminarii Germanici directore Steinmeyer et societatum Romanicae et Anglicae directore Varnhagen, per sex menses seminarii anglici directore Wagner sodalis fui ordinarius, seminarii germanici directore Sievers sodalis extraordinarius. Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas, praecipue autem Hermanno Varnhagen, qui clementissimis consiliis semper me adiuuit.